PARVUS CATECHISMUS CATHOLICORUM

A

R. P. PETRO CANISIO

SOCIETATIS JESU

EDITUS.

Adjunctæ Preces horariæ de æterna Dei Sapientia, ſeptem Pſalmi Pœnitentiales, & Veſperæ Dominicales.

Huic editioni acceſſerunt Litaniæ Lauretanæ, uſus, & actus Contritionis.





GANDAVI,
Typis *Joannis Meyer*, viâ dictâ d'Hoog-poorte, ſub ſigno enſis Coronati.
1756.

CAPITA DOCTRINÆ CHRISTIANÆ

Compendio tradita, ut sit veluti parvus Catechismus Catholicorum.

CAPUT I.

De Fide et Symbolo Fidei.

Quis dicendus est Christianus, atque Catholicus?

QUI Baptismatis Sacramento initiatus, Jesu Christi veri Dei, atque hominis salutarem doctrinam in ejus Ecclesia profitetur, neque sectis, vel opinionibus ullis ab Ecclesia Catholica alienis adhæret,

Quibus de rebus primùm docendi sunt Christiani?

De Fide, Spe, Charitate, Sacramentis, & officiis Justitiæ Christianæ.

Quid est Fides?

Donum Dei, ac lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive scripta illa sint, sive non sint.

Quæ summa est Fidei, seu omnium credendorum?

Symbolum Apostolorum in duodecim distinctum articulos.

Qui sunt illi duodecim articuli?

Hi videlicet:

1. Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

2. Et in JESUM Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum.

3. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.

4. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.

5. Descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis.

6. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

7. Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

8. Credo in Spiritum sanctum.

9. Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.

10. Remissionem peccatorum.

11. Carnis resurrectionem.

12. Et vitam æternam. Amen.



Quid sibi vult primus Symboli articulus, Credo in Deum Patrem?

Ostendit primam in Deitate personam, patrem scilicet cœlestem & æternum, cui nihil factu impossibile sit, vel difficile, qui cœlum & terram, visibilia simul & invisibilia cuncta ex nihilo produxerit, & producta usque conservat, & gubernat, summâ bonitate & sapientiâ.

Quid verò secundus articulus, Et in Jesum Christum Filium ejus?

Commonstrat secundam in Deitate personam, Jesum Christum scilicet Filium Dei naturalem unicum illum ab æterno genitum & Patri consubstantialem, Dominum ac redemptorem nostrum, ut qui nos perditos liberavit.

Quid porrò tertius, Qui conceptus est de Spiritu Sancto?

Mysterium proponit Dominicæ Incarnationis: quia idem Dei Filius de cœlis descendens, humanam naturam assumpsit, sed modo singulari prorsus, ut qui conceptus fuit sine patre, ex virtute Spiritûs Sancti, natus ex Maria virgine illibata.

Quid verò quartus, Passus sub Pontio Pilato?

Mysterium tractat redemptionis humanæ: nam idem verus Dei Filius secundùm humanam illam naturam assumptam, extrema verè passus est pro nobis, & peccatoribus omnibus redimen-

dis. Unde licet agnus esset sine macula, tamen sub Pontio præside in crucem suffixus, in cruce mortuus, & deinde sepultus fuit.

Quid autem quintus, descendit ad inferos?

Mysterium Resurrectionis Christi complectitur, qui secundùm animam quidem Patres è limbo liberaturus descendit, tertio verò post mortem die, resumpto corpore, vi propria factus est redivivus.

Quid sextus articulus, Ascendit ad Cœlos?

Mysterium adfert gloriosæ ascensionis Christi, ut qui post expletum redemptionis nostræ opus, ad Patrem transivit ex hoc mundo, & cœlos sua virtute triumphator ascendit, atque in ipsa æterna Patris gloria super omnia est collocatus.

Quid septimus, Inde venturus est judicare?

Demonstrat extremum judicii diem, quando Christus humana in carne visi-

bilis rursus de cœlo descendet, ac tremendum aget judicem omnium proborum ac improborum, & reddet unicuique secundùm opera ejus.

Quid verò octavus, Credo in Spiritum Sanctum?

Exhibet tertiam in Trinitate personam, Spiritum Sanctum, qui ex Patre Filioque procedens, unus verus æternusque Deus est, & regnat cum patre & Filio, proinde cum utroque simul adoratur & conglorificatur.

Quid nonus articulus, Sanctam Ecclesiam Catholicam?

De Ecclesia docet quatuor nobis esse credenda. Primùm, Ecclesiam esse unam, nimirum in uno Spiritu Christi Jesu, in una fide fideique & Sacramentorum doctrina, in uno Capite ac Rectore universalis Ecclesiæ Vicario Christi scilicet, ac Divi Petri successore: Secundò hanc ipsam sanctam esse, quia tum à Christo capite & sponso suo, cui per fidem & Sacramenta conjungitur,

sanctificatur, tum à Spiritu sancto perpetuò gubernatur. Tertiò, eamdem esse Catholicam, seu universalem, quia toto orbe diffusa, Christi fideles omnes omnium temporum comprehendit. Quartò & postremò, in hac ipsa Ecclesia Communionem esse Sanctorum, puta non eorum solùm qui in terris credentes peregrinantur; verùm etiam qui carnis mortalitate exuti, vel regnant in cœlo, vel illic regnaturi, in igne purgatorio suorum peccatorum sordibus expiantur. Qui quidem veluti unius corporis membra se invicem juvant mutuis officiis, meritis, orationibus, & sacrosancti Missæ Sacrificii, Sacramentorumque Ecclesiæ virtutem participant.

Quid porrò decimus, Remissionem peccatorum?

Offert præsentem Dei gratiam peccatoribus omnibus, ne quis de venia peccatorum suorum consequenda umquam desperet, modò in Ecclesia perseveret Catholica, & ritè ejusdem Sacramentis utatur.

Quid autem undecimus, Carnis resurrectionem?

Mortuos omnes ad vitam excitandos asserit, & novissimum judicii diem confirmat: nam ante Christi tribunal in carne redivivi omnes apparebimus, ut recipiat unusquisque prout gessit in suo corpore, sive bonum, sive malum.

Quid demum postremus, & vitam æternam?

Fidei & virtutis Christianæ præmium beatam immortalitatem ostendit, ut certò sciamus post hanc vitam superesse aliam longè diversam, verèque securam, beatam, ac sempiternam, quæ credentibus & obtemperantibus Christo destinata sit.

Quæ est summa omnium Symboli articulorum?

Corde & ore confiteri Dominum Deum, quo nihil aut majus, aut sapientius, aut melius potest excogitari, eum & unum in essentia, seu natura divina, & trinum in personis esse, utpote Pa-

trem & Filium & Spiritum sanctum; ita ut hi tres unum sint, unus, verus, æternus, immensus, & incomprehensibilis Deus: ex quo, per quem, & in quo sunt omnia. Pater est conditor universorum: Filius redemptor hominum: Spiritus sanctus Ecclesiæ seu Christi fidelium sanctificator & rector. Igitur huic sanctissimæ & individuæ Trinitati respondent Symboli tres partes præcipuæ. Prima, quæ de creatione est, Patri; secunda, quæ de redemptione, Filio; tertia, quæ de sanctificatione, Spiritui sancto accommodatur.

Quid est Ecclesia?

Est omnium Christi fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ sub uno & summo post Christum capite & Pastore in terris gubernatur.

Qui ab Ecclesia prorsus alieni sunt?

Primùm Judæi & infideles omnes atque à fide apostatæ: deinde hæretici, ii scilicet, qui cum baptizati sint, contra Catholicam fidem cum pertinacia tuen-

tur errorem: præterea ſchiſmatici, qui à pace & unitate Catholica ipſi ſe ſegregant: poſtremò qui à communione Sanctorum, à participatione Sacramentorum, & ab Eccleſiæ ſuffragiis, diviniſque officiis, per Eccleſiaſticam poteſtatem legitimè excluduntur, unde & excommunicati dicuntur.

Qui omnes à Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ſejuncti & alieni ſunt, proindeque ſpiritualis vitæ ac ſalutis expertes manent, Satanæ, mortique perpetuæ, niſi reſipiſcant, obnoxii. Ac vitandi quidem illi omnes Catholicis, ſed in primis hæretici & ſchiſmatici, non minùs quàm peſtes quædam exitiales fugiendi ac execrandi ſunt.

Quæ demum eſt ſimplex, brevis & recta fidei regula, quâ Catholici ab hæreticis diſcernuntur.

Ea eſt: Chriſti fidem atque Eccleſiæ auctoritatem integram profiteri: illudque ratum ac fixum tenere oportere, quod Eccleſiæ Catholicæ Paſtores atque Do-

ctores credendum definierint. Cæterùm si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi, inquit Christus ipse, sicut Ethnicus & Publicanus. Non enim habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.

CAPUT II.

DE SPE, ET ORATIONE DOMINICA.

Quid est Spes?

VIRTUS est divinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis, & æternæ vitæ bona exspectantur.

Unde modum rectè sperandi & petendi discimus?

Ex Oratione Dominica, quam Christus ipse Dominus & Magister noster ore suo sacrosancto tradidit & præscripsit.

Recita per partes Orationem Dominicam.

Pater noster, qui es in cœlis.

Prima petitio.

1. Sanctificetur nomen tuum.

2. Adveniat regnum tuum.

3. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra.

4. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

5. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

6. Et ne nos inducas in tentationem.

7. Sed libera nos à malo, Amen.

Quid ſibi vult initium hujus Orationis, Pater noſter, qui es in cœlis?

Præfatiuncula eſt, quæ nos memores reddit ſummi beneficii, quo Deus Pater per Chriſtum nos ſibi in filios adoptivos & hæredes coöptavit. Atque hoc dulci Patris nomine provocamur, tum ad eum redamandum, tum ad precandum magna cum fiducia.

Quid explicat prima petitio, Sanctificetur nomen tuum?

Proborum filiorum juſtum & liberale deſiderium: hi petunt ſemper & ubique in ſe aliiſque promoveri cognitionem, timorem, honorem, amo-

rem & cultum æternæ majestatis, & quidquid demum ad summi optimique Patris gloriam spectat.

Quid secunda petitione agimus, Adveniat regnum tuum?

Petimus gloriam regni cœlestis æternæque felicitatis nobis donari, ut citò cum Christo in sempiternum regnemus.

Quid tertia, Fiat voluntas tua?

Petimus divinæ gratiæ nobis opem adesse, ut Patris voluntatem in terra, sicut Beati omnes in cœlo faciunt, sincerè, alacriter, & constanter adimpleamus.

Quid quarta, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?

Petimus suppeditari nobis quæ ad vitam sive corporis, sive animi fovendam & sustentandam spectant, ut victum & vestitum, verbum Dei, & Ecclesiæ Sacramenta.

Quid quinta, Et dimitte nobis debita nostra?

Petimus veniam ac remissionem pec-

catorum, parati vicissim remittere, quod in nos alii peccaverint.

Quid penultima, Et ne nos inducas in tentationem?

Petimus in hac tanta vitæ imbecillitate divinâ virtute fulciri, atque adversus Mundum, Carnem, Dæmonemque defendi, ne quocumque modo tentationi succumbentes peccato consentiamus.

Quid septima & postrema petitione, Sed libera nos à malo?

Petimus Dei benignitatem, quâ ipse nos liberet & vindicet à miseria, tum corporis, tum animi, sive in hac vita quoad saluti nostræ congruit, sive in futura. Et additur, Amen; hoc est fiat, sive fiet: ut spem desideriumque monstremus, accipiendi ea, quæ septem his petitionibus continentur.

Quæ summa est priorum Orationis hujus petitionum?

Priores quatuor ostendunt quæ hìc bona sperare ac petere debeamus. Inter quæ primum

primum ac summum est divinæ Majestatis honor & gloria: proximum nostra felicitas; huic accedit, Deo debita obedientia: postremum est, corporis animæque sustentatio necessaria Hæc summatim continentur prioribus quatuor.

Quæ summa est reliquarum petitionum?

Tres posteriores continent mala quæ deprecari debeamus: ut sunt peccata, quæ nobis Dei regnum præcludunt; tum tentationes, quæ nisi ope divina protegamur; sua vi ad peccandum nos pertrahunt; ac postremò hujus, ac futuræ vitæ calamitates. Docet igitur Dominica precatio simul & bona petere, & mala deprecari.

Quomodo Salutationem Angelicam recitas Virgini Matri?

Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jesus.

Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ, Amen.

Unde hic modus Deiparam Virginem salutandi profluxit ?

Primùm ab exemplo Angeli Gabriëlis & Sanctæ Elisabethæ, deinde ex usu ipso & consensu Ecclesiæ Catholicæ.

Quem verò fructum adfert hæc Salutatio?

Sacrosanctæ Virginis & Dominicæ incarnationis gratiam, & æquè salutarem nobis refricat memoriam, ac prætereà monet, ut gratiosæ Virginis favorem, atque apud Deum intercessionem nobis conciliemus.

Quid discimus ex hac Salutatione ?

Eximias dotes ac laudes incomparabilis Virginis, ut quòd Dei donis ac virtutibus amplissimis referta, quòd eadem Virgo & Mater, quòd inter omnes omnium temporum mulieres benedicta, quòd Regis Regum Christi Dei & Domini nostri parens; ac proinde inventrix gratiæ, ac genitrix vitæ nobis extitit.

CAPUT III.

De Charitate et Decalogo.

Quid est Charitas?

INFUSA à Deo virtus, quâ Deus propter se diligitur, proximus autem propter Deum.

Quot sunt Charitatis præcepta?

Duo principalia: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tuâ, ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis: hoc est primum & maximum mandatum. Secundum verò simile huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his præceptis universa Lex pendet, & Prophetæ.

Quo indicio se prodit Charitas erga Deum?

Si ejus observes mandata. Hæc est enim Charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt. Et Christus ipse docet: Qui habet mandata mea, & servat ea; ille est, qui diligit me.

Quomodo se prodit & agnoscitur Charitas erga proximum?

Charitas patiens est, benigna est, Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

Cur præcepta Decalogi decem proponuntur?

Etsi duo sint Charitatis præcepta, in quibus plenitudo Legis versatur, tamen præcepta Decalogi idcirco adjiciuntur, ut perspicuè magìs omnes intelligant, quæ ad Charitatem tum Deo, tum proximo exhibendam pertinent.

Quæ sunt præcepta Decalogi?

1. Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, ut adores illud.

2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim insontem ha-

bebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà.

3. Memento ut diem Sabbati sanctifices.

4. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

5. Non occides.

6. Non mœchaberis.

7. Non furtum facies.

8. Non loquĕris contra proximum tuum falsum testimonium.

9. Non concupisces uxorem proximi tui.

10 Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec universa, quæ illius sunt.

Quid sibi vult primum præceptum, Non habebis deos alienos ?

Prohibet ac damnat idololatriam, seu cultum falsorum deorum, artem magicam vel divinatoriam, observationes superstitiosas, omnem denique cultum impium: è diverso autem requirit, ut unum Deum optimum maximum credamus, colamus, & invocemus.

Licetnè Sanctos colere & invocare?

Licet: non ad eum quidem modum, quo jubemur Deum colere & invocare, tamquam Creatorem & Redemptorem, & largitorem bonorum omnium; at longê inferiori gradu, nimirum veluti dilectissimos Dei amicos, nostrosque apud ipsum intercessores & patronos.

Huicne præcepto adversatur usus imaginum Christi, ac Sanctorum?

Nequaquam: quia præcepto huic, Non facies tibi sculptile, causa mox additur, ut adores illud, videlicet Ethnicorum more, qui falsorum deorum statuunt simulachra, & idola sua impiè colunt. Nos autem in imaginibus Christum & Sanctos, quos repræsentant, pio à majoribus tradito more veneramur.

Quid secundum prohibet, Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum?

Vetat abusum divini nominis, & irreverentiam, quæ committitur à perjuris, blasphemis per Deum, Sanctos, vel creaturam aliquam, absque gravi causa, veritate, ac reverentia jurantibus.

Quid imperat tertium præceptum, Memento ut diem Sabbati sanctifices?

Vult Sabbatum ſeu diem Feſtum in Eccleſia piis operibus celebrari: quod fit adeundo templum, & audiendo Miſſam.

Laborare autem hoc tempore, & occupationibus deditum eſſe ſervilibus planè interdicit.

Quid injungit quartum, Honora Patrem & Matrem?

Ut his, qui ſecundùm Deum vitæ noſtræ ſunt auctores, reverentiam, obedientiam, opemque præſtemus, ac omni demum officii genere illis ipſis ſatisfaciamus. Deinde jubet, ut Magiſtratus, cùm civiles, tum Eccleſiaſticos parentum & majorum loco habeamus, illorum dicto lubentes pareamus, & revereamur poteſtatem atque auctoritatem.

Qua ratione poteſtatem & auctoritatem Eccleſiaſticam reverebimur?

Videlicet, ſi ſacris & œcumenicis Conciliis, ſi receptis Apoſtolorum ac Patrum inſtitutis ac decretis, ſi probatis

majorum consuetudinibus, denique si summis Ecclesiæ pastoribus ac Pontificibus tribuerimus, quam singularem illis debemus observantiam, obedientiamque. Ubi vel maximè peccant, qui cultum divinum & sanctiones ceremoniasque Ecclesiasticas convellunt, atque contemerant: tum qui Synodis & Pontificibus obtrectant, ac in Sacerdotum jura & templa involant, Sacra profanantes.

Quid sibi vult quintum præceptum, Non occides?

Prohibet vim externam, cædem, & injuriam omnem, quæ corpori & vitæ proximi adferri possit. Ad hæc, iram, odium, rancorem, indignationem, & quosvis affectus ad proximi læsionem, quovis modo spectantes excludit, & penitus resecat.

Quid vetat sextum, Non Mœchaberis?

Fornicationem, adulterium & obscœnos, illegitimosque concubitus, tum quidquid honestati, verecundiæ & ingenuo pudori adversatur. Nam & qui vi-

derit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo.

Quid præcepto ſeptimo cavetur, Non furtum facies?

Omnis rei alienæ illicita contrectatio & uſurpatio: ut fit in furto, rapina, uſura, lucris injuſtis, dolis malis, & iniquis contractibus, demum quibuſvis commutationibus & diſtributionibus, quibus Chriſtiana charitas læditur, & proximus circumvenitur.

Quid in octavo agitur, Non loquêris contra proximum tuum falſum teſtimonium?

Interdicitur teſtimonium falſum, mendacium, & omnis linguæ contra proximum abuſus, ut eſt in ſuſurronibus, detractoribus, maledicis, adulatoribus, mendacibus, ac perjuris.

Quid poſtrema duo præcepta, Non concupiſces uxorem nec rem proximi?

Vetant concupiſcentiam uxoris ac rei alienæ: quoniam quod alienum eſt, haud ſolùm injuſtè & pro libidine noſtra oc-

cupare non licet, ſed ne voluntate quidem ad illud appetendum ferri debemus, ita ut noſtris rebus contenti, abſque omni invidia, æmulatione, & cupiditate vivamus.

Quæ ſumma, quiſve finis præceptorum Decalogi?

Nimirum ut Deus & proximus ſincerè diligantur: cujus rei Symbolum fuit in duas tabulas Decalogi à Deo facta diſtinctio. In priore quidem tabula tria docentur, quæ ad charitatem Dei: in ſecunda verò ſeptem, quæ ad dilectionem proximi ſpectant, explicantur.

Qua ratione præcepta primæ tabulæ Charitatem Dei edocent?

Quoniam tollunt & prohibent vitia cultui honorique Dei maximè contraria, idololatriam, apoſtaſiam, hæreſim, perjurium, ſuperſtitiones; admonent autem verum purumque Dei cultum corde, ore ac opere fideliter exhibendum eſſe, quod ubi fit, utique ſolus verus Deus cultu latriæ colitur & adoratur.

Quomodo præcepta secundæ tabulæ Charitatem proximi explicant?

Eo ipso, quod nostrum erga proximum Officium ordine complectuntur: videlicet ut non solùm majores honoremus, sed etiam opere, verbis ac voluntate prodesse omnibus, & nocere nemini studeamus, sive corpus proximi, sive persona juncta conjugio, sive bona fortunæ considerentur.

Quæ summa est præceptorum de proximo diligendo?

Hæc ipsa nimirum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Omnia verò quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim Lex & Prophetæ.

Suntne præter Decalogum alia præcepta?

Sunt utique, nec solùm utiliter illa, verùm etiam necessariò observanda, præsertim Ecclesiæ præcepta, cui veluti Sanctissimæ Matri, sponsæque Christi aures & mentes præbere Catholici filii omnes debemus.

Quæ sunt præcepta Ecclesiæ?

Præcipua quinque numerantur.

1. Statutos Ecclesiæ festos dies celebrato.

2. Sacrum Missæ officium diebus festis reverenter audito.

3 Indicta certis diebus jejunia, & à quibusdam cibis abstinentiam observato.

4. Peccata tua Sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate, singulis annis confitetor.

5. Sacrosanctam Eucharistiam ut minimùm semel in anno, idque circa festum Paschæ sumito.

Quem fructum adfert observatio præceptorum?

Hæc atque id genus alia Ecclesiæ tum instituta, tum præcepta, primùm fidem, humilitatem, & obedientiam Christianam exercent: deinde cultum divinum, honestam disciplinam, & publicam tranquilitatem alunt, conservant, & ornant, eòque mirificè conferunt, ut decenter & ordine cuncta in Ecclesia peragantur,

præterquam quod æternam vitam meremur, si illa ex charitate observemus.

CAPUT IV.

DE SACRAMENTIS.

Quid est Sacramentum?

EST invisibilis gratiæ signum visibile ad nostram sanctificationem divinitus institutum. Aliud est enim quod in Sacramento videmus, aliud quod in eo accipimus: signum videmus externum, occultam verò & Spiritualem gratiam, quæ res dicitur Sacramenti, accipimus.

Quot sunt Sacramenta?

Septem, quæ à Christo Domino instituta, ab Apostolis tradita, & in Ecclesia Catholica semper conservata, ad nos usque pervenerunt. Sunt autem hæc: Baptismus, Confirmatio, Euchar-

ristia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.

Quare Sacramenta veneranda, & summo in pretio habenda sunt?

Primùm quidem, quia à Deo & Christo Domino in Lege nova instituta: deinde, quia gratiam Dei nobis necessariam eamque uberrimam non modò significant, verùm etiam seu vasa quædam sacra divini Spiritûs continent, & ritè suscipientibus conferunt; ad hæc, quoniam adversus peccatum præsentissima sunt remedia, seu divina medicamenta nostri Samaritani: postremò quia bonis gratiam habentibus, eam ipsam conservant, augent, & amplificant.

Cur Sacramentis ceremoniæ solemnes & Ecclesiasticæ adhibentur?

Multis profectò & gravibus de caussis. Primùm, ut Sacramentorum administrationem spectantes, admoneantur nihil hìc profanum, sed arcana quædam & divinis plena mysteriis geri, quæ singularem reverentiam exigant. Deinde

ut ad Sacramenta ipsa accedentibus cultum promoveant interiorem, quem Deus præcipuè postulat, & cujus veluti signa, testimonia, & exercitia sint ceremoniæ: Præterea, ut Sacramenta ministrantes majori cum dignitate & fructu munus suum obeant, dum veteris Ecclesiæ institutis, Sanctorumque Patrum vestigiis fideliter inhærent: constat etenim hujusmodi cæremonias plerasque inde à temporibus Apostolorum per continuam successionem ad nos usque in Ecclesia perseverasse. His demum retinetur honesta religiosaque disciplina, his fovetur publica tranquillitas, quæ sæpè rituum externorum, aut immutatione, aut innovatione graviter interturbatur.

Quid est Baptismus?

Primum maximèque necessarium Legis novæ Sacramentum, quod semel in aqua confertur, quo spiritualiter renascimur, & peccatorum plena remissione percepta, in filios Dei adopta-

mur, hæredesque vitæ cœlestis adscribimur.

Quid est Confirmatio?

Est Baptizatis collatum ab Episcopo Sacramentum, in quo per sanctum Chrisma & verba sacrosancta confertur gratia, & robur spiritûs additur, tum ad firmiter credendum, tum ad nomen Domini, quando sic est opus, liberè confitendum.

Quid est Eucharistia?

Est Sacramentum, quo verum Christi Corpus atque Sanguis sub singulis speciebus panis & vini continetur; nobis, ut offeratur, adoretur, atque sumatur, relictum.

Quot sunt præcipua de Eucharistiæ Doctrina capita scitu necessaria?

Quinque; primum est ejus veritas: Alterum est panis & vini in Christi corpus & sanguinem conversio. Tertium, adoratio debita. Quartum, ejus oblatio. Quintum & postremum ejusdem Sacramenti sumptio.

Quæ eſt veritas Sacramenti Euchariſtiæ?

Nimirum hæc, Chriſtum verum Deum ac hominem verè ac integrè in hoc Sacramento contineri; & nobis adeſſe, ubi Sacerdos ritè ordinatus panem & vinum verbis illis arcanis, & à Chriſto traditis, conſecravit.

Quæ ſit converſio per verba illa, quibus hoc Sacramentum Sacerdos conſecrat?

Ea, ut per ipſa verba, operante Chriſto, panis & vinum in corpus & ſanguinem Dominicum convertantur, ac transſubſtantientur, atque ita panis & vinum eſſe deſinant in Euchariſtia.

Quæ Sacramento huic debetur adoratio?

Eadem ſanè quæ Chriſto Domino ac æterno Deo debetur, quippe quem illic preſentem agnoſcimus. Ideoque religioſo cùm corporis, tum animi cultu, ut par eſt, hoc Sacramentum ſupplices veneramur.

Quare cenſetur hoc Sacramentum oblatio?

Quia eſt Legis novæ ſacrificium, & oblatio munda cruentis Legis Judaicæ

sacrificiis incruenta succedens, quæ pro vivis ac defunctis Christi fidelibus in Missa offertur ac celebratur. Unde fit ut Eucharistia non solùm à fideli populo sumatur, sed etiam pro peccatis à Sacerdotibus ad Dominicæ passionis ac mortis continuam commemorationem quotidie immoletur, semperque oblata fuerit in Ecclesia Dei.

Quid in Sacramenti hujus sumptione servandum?

Quod fides & auctoritas sanctæ Matris Ecclesiæ docet; videlicet, Christiano laïco sat esse, sub una specie panis totum Christum accipere, & hac sumptione consequi, ut qui non indignè accesserit, ingentem Dei gratiam ac æternam quoque vitam obtineat, qui verus ac integer Sacramenti hujus fructus existit; eoque fit efficacior, quò sæpius sacra & salutaris illa communio dignè iteratur.

Quid est Pœnitentia?

Est secunda post naufragium tabula,

& necessarium relapsis Sacramentum, in quo remissio peccatorum & à reis petitur, & à Sacerdotibus tribuitur.

Quot sunt partes & actiones Pœnitentiæ?

Tres: contritio, vel dolor animi, peccata sua detestantis, & ad vitam meliorem adspirantis: Confessio, seu peccatorum suorum coram Sacerdote facta explicatio: & satisfactio denique, seu vindicta punitioque criminum de se-ipso sumpta, ad præstandos fructus dignos Pœnitentiæ.

Quid est Extrema Unctio?

Est Sacramentum, quo ægroti per oleum sacrum, & verba Christi in magnis morbi molestiis relevantur, ut felicius ex hoc mundo demigrent, & corpora etiam, si ita expedit, sanitati restituantur.

Quid est Ordo?

Est Sacramentum, quo Sacerdotibus, aliisque Ministris Ecclesiæ potestas confertur ad Ecclesiastica munia ritè decenterque obeunda.

Quid postremò est Matrimonium?

Sacramentum, quo vir & mulier le-

gitimè contrahentes, individuam vitæ ſocietatem ineunt, gratiâque divinâ donantur, tum ut ſoboles honeſtè & Chriſtianè ſuſcipiatur, ac educetur; tum ut fœdæ libidinis, & incontinentiæ peccatum evitetur.

Eſtne inter Sacramenta diſcrimen?

Eſt ſanè: Baptiſmus enim, Confirmatio, & Ordo, ſemel collata numquam iterantur, ſicuti cætera. Idem Baptiſmus neceſſariò ſuſcipitur ab omnibus, Euchariſtia à ratione utentibus, & à relapſis Pœnitentia. Arbitrarium eſt autem uti reliquis, modò nullum contemnas, aut, cùm illud ſumendi tempus eſt, negligas.

CAPUT V.

De officiis Juſtitiæ Chriſtianæ.

Quot ſunt officia Juſtitiæ Chriſtianæ?

HÆC duo: declina à malo ſive peccato, & fac bonum ſive officium Juſtitiæ.

Qui potest homo cavere peccatum, & bonum facere seu præstare Justitiam?

Non id per se quidem, sed Christi gratiâ ac Spiritu, instructus Christianus potest, ac debet, quantum hujus quidem vitæ status admittit, justè vivere, & legem implere.

Quotuplex est peccatum?

Duplex: Originale & Actuale.

Quid est Originale?

Quod ab ortu nobis congenitum per Baptismum in Christo condonatur.

Quid est actuale?

Dictum, factum, vel concupitum contra vel præter legem Dei aut Ecclesiæ.

Quotuplex est actuale?

Duplex: Mortale, sic dictum, quia mortem animæ præsentem adfert: (Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur) & Veniale, ut cui venia facilè tribuitur: & sine quo ne justi quidem vivunt.

Quibus gradibus ad peccatum deducimur?

His tribus: Suggestione, delectatione, consensu, seu deliberatâ voluntate peccandi.

Qui ſunt ſupremi gradus peccantium?

Eorum qui ſcientes ac prudentes ex mera peccant malitia: qui etiam de peccato ipſo gloriantur: & qui benè monentibus obſtrepunt, ac ſalutaria conſilia prorſus contemnunt.

Quare peccatum fugiendum?

Quia Dominum Deum offendit, ſummum bonum eripit, & ſummum adfert malum peccanti, dum divinam tollit fruitionem numquam recuperandam, & pœnas ærumnaſque homini accerſit ſempiternas.

Quæ dicuntur peccata Capitalia?

Illa ex quibus veluti capitibus & fontibus, omnia alia peccata proficiſcuntur.

Quot ſunt peccata Capitalia?

Septem: Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia.

Qua ratione vitari & vinci hæc peccata poſſunt?

Si Jeſu Chriſti gratiæ coöperemur, peccatorum damna & pericula conſiderantes, & virtutes ſeptem his peccatis contrarias exercentes.

Quæ virtutes peccatis Capitalibus adverſantur?

Hæ ſeptem: Humilitas, Largitas, Caſtitas, Benignitas, Temperantia, Patientia, Devotio, ſeu ſedula Pietas.

Quæ peccata in Spiritum Sanctum committi dicuntur?

Ea, quæ ſuâ malitiâ ſic divinam excludunt gratiam, ut neque in hoc ſæculo, niſi egrè admodum, neque in futuro remittantur.

Quot ſunt peccata in Spiritum Sanctum?

Sex: præſumptio de miſericordia Dei, vel de impunitate peccati, Deſperatio, Agnitæ veritatis impugnatio; Fraternæ charitatis invidentia, Obſtinatio, & impœnitentia.

Quæ peccata in Cœlum clamare dicuntur?

Quæ per ſe vehementer abominanda ſunt, & apertè humanæ Charitatis jura violant, unde vindictam clamare perhibentur, & horrendis ſæpè modis in hac vita divinitus vindicantur.

Quot ſunt peccata in Cœlum clamantia?

Hæc quatuor: Homicidium voluntarium, peccatum Sodomiticum, oppreſſio pauperum, viduarum, atque pupillorum, demum merces operariorum defraudata.

Quæ peccata dicuntur aliena?

Ea, quæ ab aliis quidem committuntur, ſed nobis interim auctoribus, vel quoquo modo adjutoribus, aut ſaltem non impedientibus, ut idcirco nobis etiam imputentur.

Quot modis aliena peccata nobis imputantur?

Novem his modis: conſilio, juſſione, conſenſu, irritatione, laudatione ſeu adulatione, reticentiâ culpæ alienæ, conniventiâ vel indulgentiâ, rei alienæ participatione, & prava facti alieni defenſione.

Quæ dicuntur opera carnis?

Ea quæ homines ſecundùm carnem viventes, & à Dei filiis ſpiritualibus degenerantes, committere ſolent.

Quæ ſunt opera carnis?

Paulus ea recenſet in hunc modum: Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt, Fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, diſſentiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes & his ſimilia quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.

Eſtne ſatis Chriſtiano malum fugere & à peccato declinare?

Nequaquam: ſed præterea bonum agere & virtutes exercere neceſſe eſt. Alioqui ſcienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi.

Quid boni faciendum eſt Chriſtiano?

In genere quidem quidquid boni lex naturalis, divina, vel humana præcipit vel oſtendit, in ſpecie verò pro ſua quiſque vocatione præſtare officium, & acceptæ Dei gratiæ coöperari cum gratiarum actione debet. Omnis enim

arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Quæ sunt præcipua bonorum operum genera?

Ea quibus sobriè, justè, pièque vivitur in hoc sæculo, & per quæ itidem justi magìs magìsque justificantur, & sancti indies sanctificantur.

Quotuplicia sunt hæc operum bonorum genera?

Triplicia: utpote Jejunium, Eleëmosyna seu misericordia, & Oratio, de quibus ita legimus: bona est Oratio cum Jejunio & Eleëmosyna.

Quid est fructus bonorum operum?

Habent ea promissionem ac mercedem hujus ac æternæ vitæ, Deum placant, gratiam conservant, & augent; denique Christiani hominis vocationem certam faciunt atque consummant.

Quid est Jejunium?

Est certis diebus, juxta morem & præscriptum Ecclesiæ, carnibus abstinere, & saltem unica cibi refectione in-

die contentum vivere frugaliùs. Sed ſi generatim hoc nomen accipias, Jejunium eſt corporis quædam caſtigatio piè ſuſcepta, ut vel caro ſpiritui ſubjiciatur, vel obedientia exerceatur, vel Dei gratia impetretur.

Quid eſt Oratio?

Eſt mentis in Deum elevatio, per quam vel mala deprecamur, vel bona nobis aliiſque petimus, vel Deo benedicimus.

Quid eſt Eleēmoſyna ſeu Miſericordia?

Eſt beneficium, quo alterius miſeriæ ex commiſerationis affectu ſubvenimus.

Quotuplex genus eſt Eleēmoſynæ ſeu Miſericordiæ?

Duplex; alia quippe ſunt opera Miſericordiæ corporalia, alia verò ſpiritualia: quoniam vel ad corporalem, vel ad ſpiritualem miſeriam proximi ſublevandam ſpectant.

Quot ſunt opera Miſericordiæ corporalia?

Septem, Eſurientes paſcere, potum dare ſitientibus, operire nudos, captivos

redimere, ægrotos invifere, hofpitio peregrinos fufcipere, mortuos fepelire.

Quot funt opera Mifericordiæ fpiritualia?

Sunt & ipfa feptem: utì, peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè confulere, pro falute proximi Deum orare, confolari mœftos, ferre patienter injurias, offenfam remittere.

Quæ funt virtutes omnium præcipuæ?

Poft Theologicas quidem illas, de quibus dictum eft, Fidem & Spem, & Charitatem, præcipuæ funt Cardinales, quæ Chriftianos cum primis decent.

Quæ dicuntur Cardinales virtutes?

Quæ tamquàm fontes aliarum & cardines omnem honeftiæ vitæ rationem continent.

Quot funt virtutes Cardinales?

Quatuor, Prudentia, Juftitia, Temperantia, Fortitudo: quibus in Chrifto confequitur homo, ut providè, juftè, temperatè, ac fortiter in omni vita degat, ac placeat Deo.

Quæ dicuntur dona Spiritus Sancti?

Septem illa quæ ſuper Chriſtum requieviſſe Propheta teſtatur, & quæ ab ipſo, ceu fonte omnis gratiæ in alios derivantur: ut donum ſapientiæ, donum intellectûs, conſilii, ſcientiæ, fortitudinis, pietatis, ac timoris Domini.

Quænam illa, quæ fructus Spiritûs vocantur?

Ea quæ pii ſecundùm ſpiritum viventes operantur, & per quæ ſpirituales à carnalibus dignoſcuntur.

Qui ſunt fructus Spiritûs?

A Paulo Apoſtolo ſic numerantur: Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Longanimitas, Bonitas, Benignitas, Manſuetudo, Fides, Modeſtia, Continentia, Caſtitas.

Quæ dicuntur beatitudines Evangelicæ?

Illæ propter quas in Evangelio etiam hi, qui miſeri prorſus ac infelices videntur, beati ac felices pronuntiantur.

Quot ſunt Evangelicæ beatitudines?

Octo, quas ita Chriſtus in monte tradidit.

1. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

2. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.

3 Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.

4 Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.

5 Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

6. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

7. Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.

8. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

Quæ dicuntur Evangelica conſilia?

Videlicet, quæ per Evangelium non tamquam ad ſalutem neceſſaria, ſed veluti ſuſcipientibus magis expedita atque utilia, à Chriſto non præcipiente quidem, ſed conſulente proponuntur.

Quot sunt Evangelica consilia?

Principalia tria sunt: nimirum, Paupertas voluntaria, Castitas perpetua, & Obedientia integra, quæ propter Deum homini religiosè exhibetur.

Quæ hominis novissima dicuntur?

Ea quæ homini ad extremum accidunt; ut Mors, Judicium, infernus, & Cœlestis gloria, de quibus ita docet Sapiens: In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.

FINIS.



TESTIMONIA
S. SCRIPTURÆ,
Contra Hæreticos in promptu ſemper habenda.

SI difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram: & judicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. *Deut.* 17.

Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis

dotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. *Ibid.*

Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi majores tuos & dicent tibi. *Deut.* 23.

Hæc dicit Dominus: State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & invenietis refrigerium animabus vestris. *Jerem.* 6.

Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. *Malach.* 2.

Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. *Prov.* 1.

Conserva fili mi, precepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: liga

eam in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo. *Prov.* 6.

Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui. *Prov* 22.

Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis. Ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. *Eccl.* 8.

Videte ne quis vos seducat: surgent enim multi pseudo-Prophetæ, & seducent multos. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere: & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseveraverit usque in finem hic salvus erit. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere. *Matt.* 24.

Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. *Luc.* 10.

Omnia ergo quæcumque dixerint vo-

bis, servate & facite: secundùm opera verò illorum nolite facere: Dicunt enim, & non faciunt. *Matt.* 23.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. *Matt.* 16.

Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribaret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. *Luc.* 22.

Simon Joannis diligis me? pasce agnos meos, pasce oves meas. *Joan.* 21.

Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. *Matt.* 28.

Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non

videt eum, nec ſcit eum, vos autem cognoſcetis eum. *Joan.* 14.

Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos; Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. *Ibidem.*

Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Joan.* 16.

Non pro eis rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me; ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, & ipſi in nobis unum ſint. *Joan.* 17.

Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. *Matt.* 18.

Fuerunt verò & pſeudoprophetæ in populo; ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis. Et multi ſequenter eorum luxu-

rias, per quos via veritatis blaſphemabitur: qui in errore converſantur, libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſervi ſint corruptionis. 2. *Pet.* 2.

Hoc primùm ſcientes, quòd venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores; juxta proprias concupiſcentias ambulautes. 2. *Petr.* 3.

Hoc eſt mandatum, ut quem admodum audiviſtis ab initio, in eo ambuletis: quoniam multi ſeductores exierunt in mundum. . . Omnis qui recedit & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet. *Joan.* 2.

Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. *Ibidem.*

Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt, ſibi magiſtros prurientes auribus. 2. *Timot.* 4.

Rogo autem vos fratres, ut obſervetis eos qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis,

faciunt: & declinate ab illis. Hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium *Rom.* 16.

Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè & non secundùm traditionem quam acceperunt à nobis. 2. *Thess.* 3.

Itaque fratres state & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram. 2. *Thess.* 2.

Oportet hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. 1 *Cor.* 1.

Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est; qui ejusmodi est & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus *Tit.* 3.

Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 1. *Cor.* 11.

Hæc tibi ſcribo, ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. 1. *Tim.* 3.

Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Obedite præpoſitis veſtris & ſubjacete eis. *Heb.* 13.

O Timothee depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. 1. *Tim.* 6.

Miror quod ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium: quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui qui vos conturbant & volunt convertere Evangelium Chriſti. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo Evangelizet vobis, præterquam quod Evangelizavimus vobis, anathema ſit. *Galat.* 1.

Vos autem chariſſimi, memores eſtore verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri JESU Chriſti,

qui dicebant vobis quoniam in novissimis temporibus venient illusores secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes. Hi sunt murmuratores querelosi, secundùm desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superbiam. *Jud. Ap.*

B. Augustini sententiæ tres, notatu dignissimæ.

Lib. de fide ad Petrum.

I. Firmissimè tene & nullatenus dubites non solum omnes Paganos, sed etiam Judæos, hæreticos, atque schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.

II. Firmissimè tene & nullatenus dubites quemlibet hæreticum, sive schismaticum in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque eleëmosynas fecerit; etsi pro

Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſalvari. Omni enim homini, qui Eccleſiæ Catholicæ non tenet unitatem, neque baptiſmus, atque eleëmoſyna quamlibet copioſa, neque mors pro nomine Chriſti ſuſcepta proficere poteſt ad ſalutem, quamdiu in eo hæretica vel ſchiſmatica pravitas perſeverat, quæ ducit ad mortem.

III. Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, non omnes qui intra Eccleſiam Catholicam baptizantur, accepturos eſſe vitam æternam, ſed eos qui percepto baptiſmate rectè vivunt, id eſt, qui abſtinuerunt ſe à vitiis & concupiſcentiis carnis. Regnum enim cœlorum ſicut infideles, hæretici atque ſchiſmatici non habebunt, ſic Catholici criminoſi poſſidere non poterunt.

Sit nomen Domini Benedictum in ſæcula. Amen.

DE ÆTERNA SAPIENTIA PRECES HORARIÆ,

ante annos CC ab Henrico Sufone Ordinis Prædicatorum conſcriptæ, quas conſultiſſimum foret ſtudioſis adoleſcentibus quotidie legere: ut à Chriſto, qui eſt fons Sapientiæ & Sapientia ipſa, veræ ſapientiæ ac perſpicacis intelligentiæ lucem & gratiam obtineant; ſine qua omnis ſcientia nedum vana, ſed etiam pernicioſa eſt.

Salutatio matutina ad æternam Sapientiam.

ANima mea deſideravit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de manè evigilavi ad te, ô præclariſſima Sapientia, petens, ut deſiderata præſentia tua cuncta nobis adverſantia removeat, penetralia cordis noſtri tua multiformis gratia perfundat, & in amore tuo vehementer accendat. Et nunc dulciſſime Domine JESU Chriſte, ad te di-

luculò consurgo, teque ex intimo cordis affectu saluto. Millja quoque millium cœlestium agminum tibi ministrantium te ex me salutent, ac decies millies centena millia tibi assistentium te ex me glorificent. Universalis etiam harmonia omnium creaturarum te ex me collaudet, ac nomen tuum gloriosum, protectionis nostræ clypeum, benedicat in sæcula. Amen.

SINGULIS HORIS

Præmittur hic versiculus.

Salutem mentis & corporis donet nobis JESUS Sapientia Patris.

Ad Matutinum.

DOMINE labia mea aperies. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum intende.
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat, &c. Amen. Alleluia.

A Septuagesima usque ad Pascha dicitur.

Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Invitatorium.

Æternæ Sapientiæ fontem adoremus.
Et pro gloria nominis ejus jubilemus.

Psalm. XCIV.

VENITE exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro, præoccupemus faciem ejus in confeſſione, & in Pſalmis jubilemus ei.

Æternæ Sapientiæ fontem adoremus.
Et pro gloria nominis ejus jubilemus.

Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos, quoniam non repellet Dominus plebem ſuam: quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit. Et pro gloria nominis ejus jubilemus.

Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fundaverunt manus ejus: venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus ejus, & oves paſcuæ ejus.

Æternæ Sapientiæ fontem adoremus, & pro gloria nominis ejus jubilemus.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt & viderunt opera mea.

Et pro gloria nominis ejus jubilemus.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, semper hi errant corde: ipsi verò non cognoverunt vias meas: quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.

Æternæ Sapientiæ fontem adoremus, & pro gloria nominis ejus jubilemus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, &c.

Et pro gloria nominis ejus jubilemus.

Æternæ Sapientiæ fontem adoremus, & pro gloria nominis ejus jubilemus.

Hymnus S. Bernardi.

JESU dulcis memoria dans vera cordi gaudia: sed super mel & omnia, ejus dulcis præsentia.

Nîl canitur ſuavius, auditur nîl jucundius, nîl cogitatur dulcius, quàm JESUS Dei Filius.

JESU ſpes pœnitentibus, quàm pius es petentibus! quàm bonus te quærentibus! ſed quid invenientibus?

Æterna Sapientia, tibi Patrique gloria, cum Spiritu Paraclito, in ſempiterna ſæcula, Amen.

Pſalm. LXV.

JUBILATE Deo omnis terra, Pſalmum dicite nomini ejus: date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo, quàm terribilia ſunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, & pſallat tibi: Pſalmum dicat nomini tuo.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio. & nunc & ſemper: & in ſæcula ſæculorum. Am.

Antiphona

Sapientia ædificavit ſibi domum, ex-

cidit columnas septem, subdidit sibi gentes, superborum & sublimium colla propria virtute calcavit.

℣. Ego autem in Domino gaudebo.

℟. Et exultabo in Deo JESU meo.

Pater noster, &c. Et ne nos inducas, &c.

Jube Domine benedicere.

JESUS Sapientia Patris depellat cuncta adversantia nobis. Amen.

Lectio Prima.

O SAPIENTIA æterna splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, qui universa de nihilo creasti, & ut hominem ad Paradisi gaudia reduceres, in hanc vallem miseriæ descendisti, eique viam redeundi per tuam dulcissimam conversationem demonstrasti, & pro satisfatione cunctorum, tamquam agnus innocens Patri immolari voluisti; aperi per tuam pretiosam mortem cor meum: ut Regem regum, & Dominum dominantium oculis integræ fidei semper adspiciam. Pone meam in tuis vulneribus Philosophiam, in tuis stig-

matibus ſapientiam, ut ulterius in te ſolo charitatis libro & morte tua proficiam, in omnibus mutabilibus rebus deficiam: ita ut ego jam non ego, ſed tu in me, & ego in te, indiſſolubili vinculo amoris æternaliter maneamus. Tu autem Domine, miſerere noſtri: Deo gratias.

℞. Emitte, Domine, Sapientiam de ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit & mecum laboret: ut ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore.

℣. Da mihi Domine, ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam: Ut ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore.

Jube Domine benedicere.

Æterna Sapientia illuminare dignetur ſenſus & corda noſtra. Amen.

Lectio ſecunda.

O JESU mi dulciſſime, & ſapientia feliciſſima, verbum Patris, principium & finis omnium gentium: piis oculis, quæſo, me intuere, qui pulvis ſum & caro, ſciens quod non ſit volentis,

lentis, neque currentis, ſed tui, Deus, miſerentis. Recogita obſecro, amariſſimam paſſionem, quam pro me indigno peccatore pertuliſti, & bonam voluntatem à te inchoatam piè cuſtodias. O miſericordia mea, ne derelinquas me. O refugium meum: ne diſceſſeris à me. O liberator meus, intende in adjutorium meum: & me huic mundo mortuum in ſepulchro tuo tecum ſepelias, ab omnibus inimicorum inſidiis abſcondas: ut me à te nec vita, nec mors, nec ulla fortunæ ſors ſeparet, ſed permaneat morte fortior amor noſter nunc & in ævum.

Tu autem Domine miſerere noſtri. Deo gratias.

℟. Da mihi Domine, ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam & noli me reprobare à pueris tuis: Quoniam ſervus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ.

℣. Mitte illam à ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit & mecum laboret. Quoniam ſervus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ.

Jube Domine benedicere.

Dono Sapientiæ & intellectus impleat nos Spiritus Sanctus. Amen.

Lectio Tertia.

O REFUGIUM meum, & liberator meus, per immensum amorem, qui te in patibulo crucis amarissimam mortem pro me subire coëgit, peccata, quæ ego immundus peccator commisi, misericorditer indulgeas: à committendis & à cunctis periculis in vulnere lateris tui piè me custodias: gressus meos in hujus vitæ fluctibus ad sanctum finem dirigas, & ad conspectum gloriæ tuæ me pervenire concedas.

Tu autem Domine miserere nostri. Deo gratias.

℟. Super salutem & omnem pulchritudinem dilexi sapientiam & proposui pro luce habere illam: Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.

℣. Dixi sapientiæ: Soror mea es: & prudentiam vocavi amicam meam: Ve-

nerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.

Gloria Patri, &c.

Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.

EX CANTICO
D. D. Ambrosii & Augustini.

Tu Rex gloriæ Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo aperuisti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, quos prætioso sanguine redemisti.

Æterna fac cum sanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos, & extolle illos, usque in æternum.

Per ſingulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Dignare Domine, die iſto ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine, ſuper nos; quæmadmodum ſperavimus in te.

In te Domine, ſperavi: non confundar in æternum. Amen.

QUI TAMEN VOLET

Poterit hujus loco ſequens Canticum legere.

Te Chriſtum laudamus.

Te JESUM benedicimus.

Te Regem regum, & Dominum dominantium confitemur.

Te crucifixum colimus dulcem & amabilem Redemptorem: Qui nos aſperſione tui ſanguinis redemiſti. Dignus es Domine Jesu, Deus noſter, accipere laudem, benedictionem, gloriam & honorem. Exultet tibi omnis caro, &

omnis vivens glorificet nomen tuum. Humilietur omnis caro ſacris ſub pedibus tuis : & omnis creatura tua ſerviat tibi. Laudet & extollat te, benedicat te & glorificet in æternum.

Ad Laudes.

Salutem mentis & corporis donet nobis Jeſus Sapientia Patris.

Deus in adjutorium meum intende.

Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, & nunc, &c. Alleluia.

Pſalm. CXVI.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus : & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Antiphona.

Sapientia clamitat in plateis: Si quis diligit Sapientiam, ad me declinet, &

eam inveniet : & eam cum invenerit, beatus erit, si tenuerit eam.

Capitulum.

Hanc (Sapientiam) amavi, & exquisivi mihi sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius.

℟. Deo gratias.

Hymnus.

JESU Rex admirabilis, & triumphator nobilis, dulcedo ineffabilis, totus desiderabilis.

Nec lingua valet dicere, nec littera exprimere, expertus potest credere, quid sit Jesum diligere.

Amor Jesu continuus, mihi languor assiduus, mihi Jesus mellifluus, fructus vitæ perpetuus.

Æterna Sapientia, tibi Patrique gloria, cum Spiritu paraclito, in sempiterna sæcula. Amen.

℣. Sapientia requiescit in corde ejus.

℟. Et prudentia in sermone oris illius.

Ad Benedictus, Antiphona.

O Sapientia.

CANTICUM *Zachariæ.*

BEnedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum: qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris & de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorati testamenti sui sancti.

Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.

In sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris.

Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Antiphona.

O Sapientia: quæ ex ore Altiſſimi prodiiſti, attingens à fine uſque ad finem fortiter, ſuaviterque diſponens omnia, veni ad docendum nos viam prudentiæ.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor, &c.

Oremus.

Deus qui per coæternam tibi Sapientiam hominem, cum non eſſet, condidiſti, perditumque miſericorditer reformaſti: præſta quæſumus, ut eâdem pectora noſtra inſpirante, te totâ mente amemus, & ad te toto corde curramus. Per eundem Dominum noſtrum &c.

Benedicamus Domino.

Deo gratias.

Æterna Sapientia benedicat & custodiat corda & corpora nostra. Amen.

Ita terminantur omnes Horæ.

Ad Primam.

Salutem mentis & corporis donet nobis Jesus Sapientia Patris.

Deus in adjutorium meum intende.

Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, &c. Alleluia.

Hymnus.

AMor Jesu dulcissimus, & verè suavissimus, plus millies gratissimus, quàm dicere sufficimus.

Jesu decus Angelicum, in aure dulce canticum, in ore mel mirificum, in corde nectar cœlicum.

Jesu mi bone sentiam amoris tui copiam, da mihi per præsentiam tuam videre gloriam.

Æterna Sapientia, tibi Patrique gloria; cum Spiritu paraclito, in sempiterna sæcula. Amen.

Psmal. CXLII.

AUditam fac mihi manè misericordiam tuam, quia in te speravi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Antiphona.

Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilaverit ad me; inveniet me.

Capitulum.

Sapientia vincit malitiam, attingit à fine usque in finem fortiter, & disponit omnia suaviter.

℟. Deo gratias.

℣. Jesu Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis.

℟. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Jesu Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis.

℣. Exurge Domine, adjuva nos.

℟. Et libera nos propter nomen ſanctum tuum.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Corda noſtra, quæſumus, Domine, æternæ Spientiæ ſplendor illuſtret: quo mundi hujus tenebris carere valeamus, & perveniamus ad patriam claritatis æternæ. Per eundem Dominum noſtrum &c.

Benedicamus Domino, &c. *Ut ſuprà.*

Ad Tertiam.

Salutem mentis & corporis donet nobis Jeſu Sapientia Patris.

Deus in adjutorium meum intende.

Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, &c. Alleluia.

Hymnus.

TUa, Jeſu, dilectio grata mentis refectio, replens ſine faſtidio, dans famem deſiderio.

Qui te gustant, esuriunt, qui bibunt, adhuc sitiunt, desiderare nesciunt, nisi Jesum quem diligunt.

Desidero te millies, mi Jesu, quando lætum me facies, ut me de te aliquando saties?

Æterna Sapientia, tibi Patrique gloria, cum Spiritu paraclito, in sempiterna sæcula. Amen.

Psalm. CXLII.

SPiritus tuus bonus deducet me in terram rectam propter nomen tuum.

Domine vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam, & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Antiphona.

Fili, concupiscens Sapientiam, conserva justitiam, & præbebit eam tibi Dominus.

Capitulum.

Hanc Sapientiam amavi, & exquisivi à juventute mea, & quæsivi mihi sponsam assumere & amator factus sum formæ illius.

℟. Deo gratias.

℣. Ego autem in Domino gaudebo.

℣. Exultabo in Deo Jesu meo.

In Domino gaudebo.

Gloria Patri, &c.

Ego autem in Domino gaudebo.

Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.

Oremus.

Deus, qui per coæternam tibi Sapientiam hominem, cùm non esset, condidisti, perditumque misericorditer reformasti: præsta quæsumus, ut eâdem pectora nostra inspirante, te totâ mente amemus, & ad te toto corde curramus. Per eundem Dominum, &c.

Ad Sextam.

Salutem mentis & corporis donet nobis Jesus Sapientia Patris.

Deus in adjutorium meum intende.
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, &c.
Sicut erat in principio, & nunc, &c. Alleluia.

Hymnus.

Jesu summa benignitas, mira cordis jucunditas, incomprehensaque bonitas, tua me stringat charitas.

Bonum mihi diligere Jesum, nîl ultra quærere: mihi prorsus deficere, ut illi queam vivere.

Jesu mi dilectissime, spes suspirantis animæ, te quærunt piæ lacrymæ, & clamor mentis intimæ.

Æterna Sapientia, tibi Patrique gloria: cum Spiritu paraclito, in sempiterna sæcula Amen.

Psalm. XXXII.

ANima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor & protector noster est.

Quia in eo lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto ejus speravimus.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Antiphona.

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio, dicit Dominus.

Capitulum.

Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula divinæ majestatis, & imago bonitatis illius.

℟. Deo gratias.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sit nomen Domini benedictum.

Ex hoc nunc & usque in sæculum.

℣. A solis ortu usque ad occasum.

℟. Laudabile nomen Domini.

Oremus.

Exaudi nos, misericors Deus, & mentibus nostris Sapientiæ tuæ lumen ostende, & te super omnia diligere con-

cede. Per eundem Dominum, &c.

Benedicamus Domino, *ut suprà.*

Ad Nonam.

Salutem mentis & corporis donet nobis Jesu Sapientia Patris.

Deus in adjutorium meum intende. &c.

Gloria Patri, &c.

Sicut erat in principio, &c.

QUocumque loco fuero semper Jesum desidero, quàm lætus cùm invenero, quàm felix cùm tenuero.

Tunc amplexus, tunc oscula, quæ vincunt mellis pocula: sed in his parva morula, Jesum sequar per sæcula.

Jam, quod quæsivi, video: quod concupivi, teneo: amore Jesu langueo, & corde totus ardeo.

Æterna Sapientia, tibi Patrique gloria, cum Spiritu paraclito, in sempiterna sæcula. Amen.

Psalm. XI.

COr mundum crea in me Deus & Spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne

Ne projicias me à facie tua: & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma me.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, &c.

Antiphona.

Necdum erant abyſſi, & ego parturiebar: quando præparabat cœlos aderam; cum eo eram cuncta componens.

Capitulum.

Sapientia ſpecioſior eſt ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata, invenitur prior.

℟. Deo gratias.

℣. A ſolis ortu uſque ad occaſum

℟. Laudabile nomen Domini.

Uſque ad occaſum.

Gloria Patri, &c.

A ſolis ortu uſque ad occaſum.

℣. Sapientia requieſcit in corde ejus.

℟. Et prudentia in ſermone oris illius.

Oremus.

Infunde, quæsumus, Domine, cordibus nostris lumen Sapientiæ tuæ: ut te veraciter agnoscamus & fideliter diligamus. Per eundem Dominum nostrum, &c. *ut suprà.*

Benedicamus Domino, &c.

Ad Vesperas.

Salutem mentis & corporis donet nobis Jesu Sapientia Patris.

Deus in adjutorium meum intende.

Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c.

Sicut erat, &c. Alleluia.

Psalm. CX.

REdemptionem misit Dominus populo suo: mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum & terribile nomen ejus: initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

Antiphona.

Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævum.

Capitulum.

Hanc (ſapientiam) amavi & exquiſivi à juventute mea, & quæſivi mihi ſponſam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. ℞. Deo gratias.

Hymnus.

JEſus ſole ſerenior & balſamo ſuavior, omni dulcore dulcior, præ cunctis amabilior.

Tu mentis delectatio, amoris conſummatio, tu mea gloriatio, Jeſu mundi ſalvatio.

Jeſus auctor clementiæ, totius ſpes lætitiæ, dulcoris fons & gratiæ, veræ cordis deliciæ.

Æterna ſapientia, tibi Patrique gloria, cum Spiritu paraclito, in ſempiterna ſæcula, Amen.

℣. Ego autem in Domino gaudebo.
℞. Exultabo in Deo Jeſu meo.

Ad Magnificat. Ant. O Oriens.

MAgnificat anima mea Dominum. Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

Et miſericordia ejus à progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.

Eſurientes implevit bonis & divites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham & ſemini ejus in ſæcula.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Am.

Antiphona.

O oriens ſplendor lucis æternæ, & Sol juſtitiæ, veni & illumina ſedentes in tenebris, & umbra mortis.

Domine exaudi, &c. *ut ſuprà.*

Oremus.

Deus, qui per coæternam tibi ſapientiam hominem, cùm non eſſet, condidiſti, perditumque miſericorditer reformaſti: præſta, quæſumus, ut eâdem pectora noſtra inſpirante, te totâ mente amemus, & ad te toto corde curramus. Per eundem Dominum noſtrum, &c.

Benedicamus, &c. *ut ſuprà.*

Ad Completorium.

Salutem mentis & corporis donet nobis Jeſus ſapientia Patris.

Converte nos Deus ſalutaris noſter.
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum intende.
Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, &c.
Sicut erat in principio, &c. Alleluia.

Psalm. XII.

ILlumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi & psallam nomini Domini altissimi.

Gloria Patri, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Antiphona.

Ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis.

Capitulum.

Sobrietatem & sapientiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus nihil est utilius in vita hominibus.

℟. Deo gratias.

℣. In pace in idipsum dormiam & requiescam.

℟. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.

Dormiam & requieſcam.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

In pace in idipſum dormiam & requieſcam.

Hymnus.

JEſus in pace imperat, quæ omnem ſenſum ſuperat: hunc mea mens deſiderat, & illo frui properat.

Te cœli chorus prædicat, & tuas laudes replicat: Jeſus orbem lætificat, & nos Deo pacificat.

Jeſus ad Patrem rediit, cœleſte regnum ſubiit: cor meum à me tranſiit, ſimul poſt Jeſum abiit.

Æterna ſapientia, tibi Patrique gloria, cum Spiritu paraclito, in ſempiterna ſæcula, Amen.

℣. In pace factus eſt locus ejus.

℟. Et habitatio ejus in Sion.

Antiphona O Rex glorioſe.

NUnc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum

Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Antiphona.

O Rex glorioſe, qui inter Sanctos tuos ſemper es laudabilis, & tamen ineffabilis: tu in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum invocatum eſt ſuper nos; ne derelinquas nos Deus noſter: ut in die judicii nos collocare digneris inter Sanctos & electos tuos: Rex benedicte.

Domine exaudi. *ut ſuprà.*

Oremus.

Fragilitatem noſtram, quæſumus Domine, propitius reſpice, & ſaporem nobis æternæ ſapientiæ benignè infunde; ut ejus dulcedine melliſluâ prægustatâ, omnia terrena valeamus deſpicere, & tibi ſummo bono ardenti deſiderio jugiter adhærere. Per eundem Dominum noſtrum JeſumChriſtum Filium tuum, &c.

Benedicamus Domino. *ut ſuprà.*

MEDITATIONES

Quotidianæ juxta ordinem dierum hebdomadæ.

PRÆFATIO.

INter omnia pietatis vera exercitia, Christiane Lector, nihil præstantius, nihil Deo gratius, hominique utilius ac magis necessarium & ad benè beatèque vivendum accomodatius esse potest, quàm se diligenter in assidua vitæ & Passionis Domini nostri JESU Christi meditatione exercere: id quod non modò sanctissimorum ac eruditissimorum hominum exempla & doctrina, sed ipsa etiam experientia rerum magistra luculenter ostendit, atque confirmat Si enim vitia vis fugere, & peccata declinare, tecum expende, quid non egerit ac passus sit triginta tres annos unigenitus Filius Dei, ut te à peccatis & à vitiis omnibus liberaret. Si humilitatem, mansuetudinem, patientiam, obedientiam, charitatem, cæterasque Christi

virtutes amas, iiſque animum tuum ornare deſideras, inſpice vivum & abſolutum, omnis virtutis exemplar Dominum tuum JESUM Chriſtum. Si verò vis mundum, & ea quæ in mundo ſunt, contemnere, ac pro nihilo ducere, ſeriò tecum cogita, qualem in hoc mundo vitam Chriſtus Dominus egerit, quàm pauperem, quàm vilem & abjectam quantiſque laboribus & doloribus plenam, quas inſidias & calumnias, qualem denique mortem tui amore tuæque ſalutis causâ pertulerit. Si denique ad Dei amorem & gratiarum actionem te velis excitare atque inflammare; quid quæſo, efficacius quàm Chriſti vitam & paſſionem, & quàm multa atque immenſa ex illis beneficia ſimus conſecuti ſedulò meditari; ut non immeritò dixerit Apoſtolus: Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem, ut non fatigemini, animis veſtris deficientes, & D. Petrus, Chriſto, inquit, paſſo in

carne, & vos eadem cogitatione armamini. Cæterum ut majori cum fructu meditationibus istis utaris, Christiane Lector, talis erit in iis tibi servanda ratio, ut orationis tempore primò quidem puncta omnia illius diei perlegas, deinde verò in illius contemplatione diutiùs hæreas, in quo magis perlegendo afficiebaris; meditans porrò de virtute aliqua, sedulò tecum perpendas, quàm studiosè Christus Salvator tuus se in ea exercuerit, tibi exemplum præbens, ut vestigiis ipsius diligenter insistas. Atque tunc ipse tecum statues, ad ejus imitationem te, præsente illo die, in eadem illa virtute aliquem progressum facturum: dabisque proinde operam, sæpius interdiu conceptum propositum in mentem revocare, atque occasiones non negligere, quibus in ea te virtute exerceas. Puncta autem quinque sunt, primum, ex Christi infantia; secundum, ex ejus vitâ; tria deinceps sequentia ex ejusdem passione desumpta.

DIE DOMINICO.

De humilitate Christi.

PRimo igitur cogitabis, quanta humilitate Dei Filius, summus ille totius orbis Monarcha, è Cœlis in virgineum humilis Virginis Mariæ uterum descenderit, atque seipsum exinanierit formam servi accipiens: Rogabis proinde eundem illum Dominum, ut veram humilitatem donet, gratiamque tibi infundat, quâ superbia omnis, inanis gloria atque tui ipsius complacentia ex corde tuo radicitus evellantur: considerabisque tecum sæpenumerò, quot quantisque adhuc imperfectionibus sis obnoxius; quàm miserè in vitia quotidie labaris, quàm denique parum hactenus in virtutibus promoveris.

Secundò considerabis, quanta animi demissione à Joanne Baptista se baptizari sit passus, haud aliter quàm si homo peccator fuisset, indigens purgatione aut expiatione, qui tamen Deus verus & homo, ab omni prorsus sorde peccati

immunis, ipsi etiam Joanni gratiam omnem, quâ præditus erat, contulerat. Tu igitur, vermiculus cùm sis, creatoris tui exemplo quibusvis qui te vel docent vel hortantur, vel reprehendunt, subjicito, etiamsi multò te sint & inferiores, & imbecilliores.

Tertiò summam illam humilitatem perpende, quâ instante passionis tempore humanam suam exponens infirmitatem, animi sui tristitiam Apostolis declaravit, cùm diceret; tristis est anima mea usque ad mortem: cùm tamen ille ipse sit, qui verâ lætitiâ tam eos qui in cœlis, quàm qui in terris degunt, perfundit. Disce igitur non nimiùm tibi fidere, neque in tentationibus (quæ vel exteriùs vel interiùs obveniunt) de te ipso plus æquo præsumere; sed submissè de te sentiens aliorum sana consilia non vereare & petere & amplecti.

Quartò considera, quàm humiliter Christus Dominus omnium potentissimus veluti tamen homo ab omni auxilio

deſtitutus, in terram ſe proſtraverit, Patremque ſuum, ut noſtra expiaret crimina, illacrymans oraverit, & præ amoris magnitudine ſanguineum ſudorem largiter emiſerit. Ea propter etiam tu in quavis tribulatione & cordis auguſtia humili oratione te ad Chriſtum Salvatorem convertas, nihilque tibi amore illius indulgeas, te totum ejus voluntati conſecres.

Quintò intuere, quàm fuerit humilis illa reſignatio, quâ voluntatem ſuam cœleſti Patri (cui tamen, ut Deus, æqualis erat) promptiſſimè obtulit, ita dicens: non mea, ſed tua voluntas fiat: quamque non fuerit dedignatus Angeli conſolationem ſeu confortationem admittere, qui alioqui totius orbis eſt conſolator, omneſque in agone confortat. Igitur & tu profunda humilitate, Dei te voluntati ſubmittas omnibus in rebus, quæ vel interiùs vel exteriùs evenire poſſunt, magna cum fiducia conſolationem cæleſtem exſpectans.

Sub finem Meditationis, hanc talem orationem adjungito.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, ipse verus Deus, & potentissimus rerum omnium conditor & moderator, qui ut humilitatis nobis exemplum relinqueres, è sublimi cœlo in hanc terram descendisti humanam nostram infirmitatem atque abjectionem assumens; à servoque tuo Joanne velut impurus peccator baptizari voluisti, & passione tua jam instante, charis discipulis cordis tui tristitiam patefecisti, prostratusque in terram, sudore sanguineo emisso, humillimè voluntatem tuam in voluntatem Patris resignasti, aliaque quam plurima egisti quæ summæ humilitatis sunt argumenta: Precor, ut profundam mihi dones humilitatem, quâ me omnibus facilè lubensque subjiciam, neque altè de me ipso sentiam; sed vilis sim abjectusque semper in oculis meis, & talis ab omnibus haberi cupiam. Qui cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti vivis & regnas Deus in sæcula benedictus. Amen.

DIE LUNÆ.

De mansuetudine Christi.

PRimò eam mansuetudinem diligenter expende, quâ innocens ille puerulus jam recens natus orbi se ostenderit, licèt inimicissimo: Ora eundem ipsum, ut veram innocentiam & cordis mansuetudinem donare dignetur.

Secundò cogita, quantâ mansuetudine quantâque modestiâ cum Apostolis suis, licet imperitis ac simplicibus, versatus sit tam verbis quàm factis mansuetudinem omnem significans, quàmque mansuetè Judæorum captiosis & malignis quæstionibus responderit. Quocirca etiam tu summâ modestiâ animique mansuetudine cum omnibus versari discas, neque verbo, neque opere ullum immodestiæ signum præbeas, quantumcumque tibi verbis aut factis adversantur.

Tertiò, vide, quam mansuetè Judam proditorem sit exosculatus, & se capiendum hostibus benignè obtulerit, omniaque corporis membra stringenda

præ-

præbuerit. Proinde & tu mansuetè, & amicè his omnibus occurras, qui te vel spernunt vel ludibrio habent, quantumvis gravem tibi irrogaverint injuriam.

Quartò, quâ sit usus mansuetudine, considera, dum coram Caipha ita ligatus staret, quàm mansuetè ipsi insidiosè interroganti responderit, ac diram sit alapam perpessus. Quapropter etiam tu mansuetè feras, si quando tibi duriter respondeatur: etiam si rectè tibi, tuo quidem judicio, aut fecisse, aut dixisse videaris.

Quintò, illam quoque mansuetudinem perpendes quam coram eodem Caipha singularem exhibuit, in omnibus illis occultis pœnis ac illusionibus, cum videlicet facies illa suavissima (in quam desiderant Angeli prospicere) tam ignominiosè velaretur, alapis & colaphis crudeliter cæderetur, & tam fœdè conspueretur, aliisque id genus multis tormentis afficeretur, quæ nulli umquam mortalium innotuerunt. Tu igitur dis-

cas mansuetè ferre quidquid molestiarum vel interiùs vel exteriùs occurrit. Atque si occultè tibi quispiam molestus sit, magnâ id æqualitate, animi alacritate, hilarique vultu sustineas, idque ob amorem amici Salvatoris, & dilectissimi animæ tuæ sponsi Jesu Christi Domini nostri.

FINITA MEDITATIONE
Ita precabere.

Domine Jesu Christe, præclarum omnium virtutum exemplar, qui summam semper omnibus mansuetudinem præbuisti, tam in nativitatis tuæ exordio; quando te mundo ostendisti inimicissimo, quàm per totam reliquam vitam, in qua modestiâ summâ cum discipulis rudibus & Judæis continenter insidiantibus versatus es: quàm denique passionis tempore, cùm & proditorem Judam mansuetissimè deosculabaris, & Judæis eâdem semper modestiâ teipsum exhibuisti, quamtumvis duriter ligarent, cæderent, in faciem conspuerent, multasque irrogarent injurias: Rogo humil-

limè, ut veram mihi largiaris mansuetudinem, quâ sedato animo mea omnia peragam, modestèque me apud alios habeam, atque mansuetè cum omnibus verser, sive benignè sive duriùs mecum agant. Qui vivis & regnas cum Deo Patre & Spiritu Sancto Deus in omnia sæcula. Amen.

DIE MARTIS.

De patientia Christi.

PRimò diligenter adverte singulare patientiæ exemplum, quod tibi in tenerrima illa ætate, nimirum in sua circumcisione præbuit, in qua pretiosum suum sanguinem benignè pro nobis fundens gravi illo vulnere tenellus adhuc infantulus afflictus fuit. Idcirco in te vitia omnia, omnes pravas affectiones, omniaque mala desideria circumcidere & amputare stude. Et ut Christus legem ex animo perfecit, ita etiam ne ad latum unguem à tibi præscriptis vivendi legibus deflectas, quin potiùs ad eas temetipsum componas, licèt id na-

turæ nonnumquam molestum videatur.

Secundò, cogita, quantâ patientiâ Judæorum omnes iniquas persecutiones tolerarit, quando eum truculento vultu contuebantur, quando à dæmonio obsessum dicebant, quando nunc lapidibus eum obruere, nunc de monte precipitare satagebant. Esto & tu ergo patiens in omnibus iis, quæ tibi occurrunt, molestiis: atque æquabilem te præbeto, modestum & quietem in omnibus quæ objiciuntur tibi, vel impinguntur.

Tertiò, contemplare, quanta fuerit ejus patientia in domo Pilati, quando tot conficta mendacia, & iniquas calumnias patientissimè sustinuit. Si quando itaque tibi falsum crimen objicitur, aut quâvis aliâ injuriâ præter meritum afficeris, ita ut contemnaris, vilis vel improbus habearis, tunc verbo illo Salvatoris te solare: non est discipulus super magistrum suum, nec servus major Domino suo, & illo quod ad Pilatum dixit: Regnum meum non est de hoc

mundo; ac proinde nec hìc ullum quæres honorem.

Quartò, conſiderabis etiam quàm patienti animo probra, injurias atque irriſiones, in domo Herodis perpeſſus ſit, & quo pacto ad Pilatum non aliter atque ſtultus aliquis & delirus per plateas deductus omnium riſibus fuerit expoſitus, neque in his omnibus verbulum unum reſponderit, aut ullum impatientiæ ſignum exhibuerit. Sic tu quoque patienter taceas, etiamſi ob id ſimplex, rudis, vilis, imperitus ac ſtultus reputeris.

Quintò, meditare, quantâ crudelitate ſponſus atque ſalvator animæ tuæ columnæ alligatus, quantâ patientiâ duriſſima illa verbera propter te ſuſtinuerit. Diſce igitur etiam tu confuſionem omnem, quocumque modo ea tibi acciderit, non ſolùm infracto animo tolerare, ſed ob Chriſti amorem libenter illi teipſum ſubjicere. Diſce omnem incommoditatem, dura verba, & quidquid tibi adverſi acciderit, æquanimi-

ter ſuſtinere. Diſce nec verbera, ſi quæ Chriſti amore inferantur, refugere, memor tot tantarumque plagarum, quas Redemptor tuus Chriſtus amore tui accepit.

SUBJUNGES DEINDE
Precationem ejuſmodi.

Domine Jeſu Chriſte, patientiæ ſpeculum, & auctor omnium bonorum, qui tener infantulus circumciſionis dolores patientiſſimè tuliſti, in omnibuſque Judæorum conviciis, & quas intulerunt, plagis atque diris flagellis, infractum ſemper animum & benignum exhibuiſti: obſecro, ut hanc mihi infundas gratiam, quâ ſummâ conſtantiâ, quæ Chriſtianum hominem officiumque meum decent, perficiam, injurias omnes illatas fortiter perferam, neque prorſus ad ullas adverſitates commovear, ſed æquabili ſim animo, tam in contrariis quàm rebus ſecundis. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus, &c.

DIE MERCURII.

De Obedientia.

PRimò hìc de obedientia trium Regum cogitabis, qui ſtatim viſâ ſtellâ, regnis, divitiis, patriâque relictis ad exteras regiones profecti, recens natum Regem inquiſiverunt, inventumque oblatis muneribus proſtrati in terram adoraverunt. Et tu igitur in primis ſummâ diligentiâ internas inſpirationes, & Sancti Spiritus pias ſuggeſtiones obſervato, deinde ſedulò, quod admonet, perficito, Deoque voluntatem tuam in omnibus offerre ſtudeto.

Secundò ad Chriſti Domini tui attende obedientiam, quòd nulla in re ſibi Chriſtus pepercerit ut Patris voluntatem perficeret, in jejuniis, in vigiliis, orationibus, concionibus, fatigationibus, quas pro convertendis peccatoribus perpeſſus eſt. Quid multis? adeò promptè Patri in omnibus obtemperavit ut dicere ſit ſolitus: Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei, &c.

Neque tu igitur laborem ullum detrectes, qui tibi ex obedientia obeundus est, nec ullis impendiis parcas, ut proximi saluti consulas, quantumvis id tibi molestum videatur.

Tertiò, obedientiam summam Christi Salvatoris admirare, quam non solùm Patri æterno ad mortem usque crucis præstitit, verùm etiam impiis tortoribus, quando illis purpuram induentibus morem gerebat, jussus sedere obtemperabat, imponentibus coronam spineam inclinabat caput, & arundinem contumeliosè oblatam benignè suscipiebat, atque ita in cæteris, quantumcumque duris & acerbis, promptè obsequebatur. Libenter igitur tu quoque aliis obtempera in iis, quæ salvâ & bonâ conscientiâ ac citra peccatum ullum facere queas, & facilem ac promptum te illis exhibeas, qui operam tuam expetunt, in quocumque negotio, quamtumvis etiam molesto.

Quartò, illam quoque non leviter

pertranſeas obedientiam quâ ad Præſidis Pilati juſſionem ad populum, ridendus ab omnibus, Rex gloriæ proceſſit, ludicrâ illâ purpurâ indutus, ſpineâ coronâ redimitus, arundinem manibus geſtans, totoque corpore miſerè dilaniatus. Quantâ hic confuſione perfundebatur, omnium ludibriis expoſitus? quamque graviter aures ejus percutiebant crudeles illæ duriſſimæque voces, quibus omnes illi ac clamabant, Crucifige, Crucifige eum. Eſto igitur & tu obediens in toleranda quavis confuſione & contumelia, à quocumque, ſive meritò, ſive immeritò illata.

Quintò cogitabis, quantâ obedientiâ ſummus ille Judex vivorum & mortuorum iniquam mortis ſententiam ſuſceperit ab Ethnico, & impio judice. Ideo & tu Dei in primis, deinde majorum tuorum voluntatem in omnibus lubens perficias, ad mortem uſque obedire paratus eſto; nihil vana aliorum judicia, nihil verba aliorum reveritus à cœpto

desistas, aut insincerè quidpiam agas: quin potius tibi persuasum habeas hanc Dei esse voluntatem, nec quemquam in te ullam habere potestatem, quæ non sit data desuper.

ORABIS DENIQUE

Tali modo.

Domine Jesu Christe, summe totius orbis Imperator, cui ad nutum omnia obediunt, cui se Reges inclinant & cui subsunt cunctæ prorsus creaturæ: Rogo te per insignem illam obedientiam, quâ te totum ita Patris voluntati subdidisti, ut fatereris, esse cibum tuum ejus jussionem implere: neque illi tantùm paruisti, verùm etiam hominibus quantumvis improbis, ut judici Pilato in suscipienda mortis sententia, & impiis tortoribus in his, quæ ad inferendas pœnas iniquè præcipiebant. Rogo inquam ut gratiam mihi largiaris, quâ tuis imprimis sanctissimis mandatis, & piis internis Spiritûs Sancti suggestionibus obtemperem, cœcam, velocem, alacrem, atque hu-

milem obedientiam ſuperioribus meis libenter præſtem. Qui vivis & regnas cum Deo Patre & Spiritu Sancto Deus in omnia ſæcula benedictus. Amen.

DIE JOVIS.

De amabili benignitate Chriſti.

PRimò conſidera, quàm amabili Chriſtus benignitate in illius ſenis Simeonis ulnis præſentatus in templo requieverit: precare ipſum ut in ulnis animæ tuæ quieſcens dulcedinem cordis tibi largiatur, & benignitatem amabilem, quâ cum omnibus hominibus ſuaviter & amanter verſeris.

Secundò, benignitatem illam tecum expendas, quâ ſimplicium diſcipulorum, adeoque ipſius proditoris Judæ pedes, poſitis in terram genibus, & laverit, & terſerit, & oſculatus ſit, quâ etiam Apoſtolis, & nobis omnibus in perpetuam ſuæ paſſionis ſuæque erga nos immenſæ charitatis memoriam, ſeipſum in Sacramento Euchariſtiæ dederit: quâ denique benignitate eoſdem

ob diſceſſum paſſionemque ſuam jam contriſtatos in extrema cœna conſolatus ſit. Da ergo operam, benignum & affabilem te exhibere omnibus hominibus, etiamſi duro & alieno à te animo eſſe videantur.

Tertiò conſidera, quàm benignè ingens peccatorum noſtrorum pondus in ſe ſuſceperit, ponderoſam illam crucem in terram acclinis benignè portarit, quàmque amicè ad mulieres converſus eas compellaverit dicens: Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, &c. Proinde hilari ac benigno animo jugum Domini Salvatoris, ſine obmurmuratione ſuſcipito; neque umquam tibi plus impoſitum eſſe cauſeris, quàm merueris, aut ferre queas. Prætereà, ſi quandoque aliquis operam tuam depoſcat, non te moroſum aut difficilem, ſed benignum exhibeas, nec deſidera, ut quis tibi compatiatur, quin potiùs tu aliis omnibus compatere ac ſubveni: quoad ejus fieri poterit.

Quartò, expende, quâ benignitate jam jam cruci affigendus, crudeles illos tortores juverit, dum illi veſtes vulneribus inhærentes tam immaniter detraherent. Sis itaque etiam tu benignus illis, qui vitia tua, tuoſque defectus tibi aperiunt: nec tantiſper expectes ea exuere, donec te neceſſitas compellat, aut quis te acriter urgeat; ſed illicò ut advertis quid alius in te reprehendere velit, non te excuſa: verùm agnitâ culpâ tuâ, id omni conatu emendare contende.

Quintò, conſidera, quàm benignè & amanter Salvator tuus in crucem tam horrendè projectus, extenderit brachia ſua, diris clavis cruci affigenda; quàmque benignè eos aſpexerit, qui illum tam crudeli ac ignominiosâ crucis morte afficiebant. Quocirca tu quòque benignum blandumque atque amabilem vultum iis etiam omnibus præbeas, qui tibi vel maximè adverſantur, lætoque animo de manu Domini ſuſcipito, quidquid adverſitatis occurrit: & vires denique tuas

omnes alacriter libenterque in Dei servitium, fratrumque tuorum utilitatem exponas.

Posteà autem sic orabis.

Domine Jesu Christe, benignissime Deus, qui summâ semper amabilique benignitate erga tuos usus fuisti, quando infantulus in ulnis Simeonis requiescebas; quando Apostolorum lavabas pedes; quando crucem ponderosam bajulans, ad mulieres conversus eas consolabaris, vestibus spoliabaris, & manus crudeliter perforandas porrigebas, precor te, ut etiam benignitatem amabilem mihi conferas, quâ cum omnibus prout convenit, converser, animi summâ dulcedine cum illis agam, nec adversantibus sim asperior quàm faventibus, verùm amabilem dulcemque benignitatem omnibus exhibeam. Qui vivis & regnas cum Deo Patre & Spiritu Sancto Deus in sæcula benedictus. Amen.

DIE VENERIS.

De inæstimabili ardentiſſimaque charitate Chriſti Domini.

PRimò cogita diligenter, quantâ Chriſtus Dominus accenſus fuerit charitate, quando ut te hæredem conſtitueret regni Patris ſui, profugus eſſe voluit in terra aliena, furorem Herodis in ſumma paupertate infantulus adhuc tenerrimus cum Matre declinans. Fugias igitur, quâlibet tentatione ingruente, in amabile cor Chriſti ejuſque aperta vulnera; in iis ineffabilem ejus bonitatem atque charitatem contemplare; è regione autem tuam abjectionem, malitiam & infidelitatem: ut ex tali conſideratione ſuperbus tuus arroganſque animus deprimatur, & ad Deum redamandum inflammetur.

Secundò perpende etiam atque etiam, quàm ſingulari dilectione omnes homines proſequatur, dum cunctos, quibuſcumque premantur miſeriis aut malis, amanter ad ſe invitat, ut eos ſublevatos

recreet. Venite, inquiens, ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tu itaque magna cum fiducia ad ipſum accede, quantumcumque te peccata gravent, ſperans, ſi modo illi obtemperes, certò te liberatum iri. Atque etiam da operam, ut Dei amorem in temetipſo experiare, qui efficiet, ut nihil tibi durum ſit, aut moleſtum, juxta illud D. Bernardi: Amanti nihil eſt difficile.

Tertiò, conſidera tecum ſedulò quantâ charitate animæ tuæ ſponſus vires ſuas omnes tribus continuò horis è ligno crucis ſuſpenſus exhauſerit, atque ita planè ſacratiſſimum ejus corpus exaruerit, ut nihil in eo remanſerit humoris. Tu ergò, ut tanto amori aliquid rependas, in ejus ſervitium nihil tibi parcas: ſed in iis quæ grata illi fore cognoſcis, libenter vires tuas omnes ejus amore conſumas. Cura autem ſedulò, ne eas in proprio tuo judicio atque voluntate & pravis concupiſcentiis adimplendis expendas.

Quartò

Quartò, quanto amore septem illa postrema verba cruci affixus protulerit, perpende, quibus ille nobis immensam charitatem, quam cordi inclusam tenebat, testatam reliquit. Esto igitur in verbis tuis Christi amore tam modestus atque maturus, tamque verax, humilis & benignus, ut facilè quivis enim advertere possit te verum Dei timorem & amorem in corde gestare.

Quintò, diligenter tecum animo versa, quàm ineffabilis fuerit illa charitas, quâ Deus summus in maximis cordis angustiis, & totius mundi opprobriis, pro te vilissimo vermiculo illam crucis acerbissimam mortem perpessus fuerit. Tu, qui nihil dignum tanto amore referre potes, hoc tantùm conare, ut sensualem omnem affectionem in te mortifices; radices vitiorum evellas, atque ita te componas ut mundo mortuus soli Christo vivas, eique te totum dedas, qui etiam ad extremam usque ignominiam summosque cruciatus seip-

sum totum tibi impendit, quando & sanguinem universum in tuam utilitatem profudit, & animam denique ipsam pro tua salute liberalissimè dedit.

Hanc demum subjungas orationem.

Domine Jesu Christe, charitas increata, qui tanto amore salutem nostram semper sitivisti, ut veluti profugus in aliena terra peregrinari dignatus sis, cujus est terra omnis, & plenitudo ejus, & prætereà omnium hominum, qui ad te veniunt, miserias & calamitates sustollere promiseris; denique, post immensos nostri causâ exantlatos labores etiam sanguinem universum profundere, & animam pretiosissimam pro nobis ponere volueris: per hæc te supplex oro, ut mihi veram charitatem infundas, quâ te in primis ardentissimè diligam, deinde proximum omnem in te & propter te summo complectar amore, nihilque mihi in rebus illis parcam, quibus vel tibi vel proximo obsequium aliquod exhibere queam, quantumvis id durum sit mi-

hi atque molestum. Qui vivis & regnas cum Deo Patre & Spiritu Sancto Deus in omnia sæcula benedictus. Amen.

DIE SABBATHI.

De liberalitate & compassione Christi Salvatoris.

PRimò, illam liberalitatem expende, quâ seipsum puer duodecim annorum in templo manifestavit hominibus declaraturus ob quam causam in hunc mundum venisset, nimirum ut cœlestis sapientiæ ac divinæ gratiæ suæ thesaurum liberaliter nobis communicaret. Semper igitur tibi ob oculos pone, qua de causa in hunc mundum veneris, videlicet non ut tua consecteris commoda, aut tibi plus æquo indulgeas, sed ut potiùs deferas te totum divinæ voluntati & obsequio, proximorumque tuorum utilitati offeras; atque aliorum commoda tuis præponas.

Secundò, ut summam Christus Salvator tuus liberalitatem omnibus exhibuerit, adverte. Aliquando enim in me-

dio populi ſtans, ita clamabat. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat; paratum ſe oſtendens omnium neceſſitatibus ſubvenire. Idcirco eſto etiam tu erga omnes liberalis: & ſi quando accidit, ut opere illis ſuccurrere nequeas, tunc verbis piis atque indiciis aliis exterioribus talem te iis exhibeas, ut vel ſic cordis tui liberalitatem declares.

Tertiò, conſiderato, ut liberaliſſimè tibi cordis ſui pretioſum Sanguinem propropinarit, quando, ſacro latere aperto, quidquid reliquum erat in corpore ſanguinis profudit. Tu viciſſim te illi gratum præbeas, atque ob ejus amorem libentiſſimè in omnia, quæ etiam naturæ moleſta ſunt, effundas.

Quartò, de ſummis & internis Sacratiſſimæ Mariæ doloribus diligenter cogita, quantâ videlicet cordis triſtitiâ toto illo paſſionis tempore affecta fuerit, quando oculis ipſa ſuis dilectiſſimum filium ſuum in cruce ſuffixum conſpiciebat, quando in tantis eum anguſtiis vide-

bat, & inter tantos cruciatus morientem cernebat; quando denique post mortem sinu suo eum complexa, omnia ejus vulnera maximo animi mœrore contemplans, lacrymis irrigabat. Ac proinde tu de sponsi tui passione sæpiùs cogitans, sedulò eam mente revolvens, Christo ejusque benedictæ Matri compatere, dolorem aliquem in te excitans, quod tam ingentes cruciatus in gratiam tui Salvator Christus fuerit perpessus. Geras te interim apud omnes modestum atque maturum, citra ullam animi vacillationem ac dubitationem tam in adversis quàm prosperis, ac iis omnibus quæ vel lætitiam vel mœrorem adferre possunt.

Quintò, denique perpendas, quanto dolore matris ac aliorum piorum hominum Christus Dei Filius sepultus sit. Tu igitur dabis operam Christi Domini passionem in corde gestare, eamque sæpius mente revolvere: præterea conscientiæ tuæ sepulchrum frequenter verâ contritione ac oris confessione purgare; deni-

que voluntario ac liberali animo, in memoriam passionis Christi pœnitentiam peccatis debitam exsolvere, omnia in laudem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui cum Patre & Spiritu Sancto regnat Deus in sæcula benedictus. Amen.

POSTREMO EJUSMODI

Ad Deum orationem fundas.

Domine Jesu Christe potentissime atque liberalissime Deus, qui summâ liberalitate te ipsum totum nobis donasti, quando in maximis laboribus & corporis molestiis nihil tibi parcens, omnes sitientes ad te venire jussisti, ut aquâ salutari eos potares, & liberalissimè cœlestis sapientiæ divinæque gratiæ thesaurum illis communicares; denique sanguinem universum, illum etiam qui in corde, interioribusque visceribus latebat, ut te totum nobis impendere non dubitares, liberalissimè effudisti: oro ut mihi liberalem des animum; quo non solùm in tuum obsequium, sed in auxilium quoque salutemque proximorum me totum,

meaque omnia liberaliter impendam. Fac etiam (precor) ut ſedulò & continenter paſſionem tuam doloremque Sanctiſſimæ Matris in corde geſtem, quorum meditatione vitam meam Chriſtiano homine & vocatione meâ dignam traducam, animumque meum ita componam, ut dignus ſit, in quo per gratiam tuam quieſcas & habites unà cum Deo Patre & Spiritu Sancto in omnia ſæcula. Amen.

MODUS TEMPORE
Matutino Deo ſe commendandi.

MAtutino tempore ut rectè te Chriſto commendes, pauca quædam tibi ſervanda erunt.

Primum: ut ſurgens initio te ſigno crucis munias, neque ſtatim ad fabulas aut inanes cogitationes te convertas, ſed in ſilentio, mente ad Deum elevatâ, ad proximam te præpares orationem.

Secundum: ubi in genua te oraturus provolveris (tali enim ratione orandus eſt Deus) gratias agas in primis Deo, deinde

Sacratiſſimæ Matri, Angelo Cuſtodi, omnibuſque Sanctis, de nocte jam feliciter tranſactâ, quòd mortuus in peccatis non fueris (quemadmodum multis contingit) ſed ad hunc diem ſervatus ſis, ut per fidem, pœnitentiam ac Chriſtianæ legis operâ gratiam Dei tibi concilies in hoc brevi & incerto vitæ curriculo, orabiſque ut diem iſtum tranſigas ad Dei gloriam, animæque tuæ ſalutem.

Tertium, ut ſeriò tecum proponas, die illo præſente nihil velle committere quo Deus offendatur; prætereà in virtute aliqua te conſtituas exercere, quam in præcedentibus Meditationibus invenire queas.

Quartum, conſultum fuerit, obiter horas diei percurrere, & generatim, quoad ejus fieri poteſt, quid toto die facturus ſis, tecum ſupputare.

Poſtremò, piis quibuſdam orationibus ad Deum converſus, ſupplex ejus implores auxilium. Inter cetera autem poterunt & hæc, quæ ſequuntur, recitari.

HYMNUS.

JAm lucis orto ſidere,
Deum precemur ſupplices,
Ut in diurnis actibus
Nos ſervet à nocentibus.
Linguam refrenans temperet,
Ne litis horror inſonet,
Viſum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.
Sint pura cordis intima,
Abſiſtat & vecordia;
Carnis terat ſuperbiam
Potus cibique parcitas.
Ut cùm dies abſceſſerit,
Noctemque ſors reduxerit,
Mundi per abſtinentiam
Ipſi canamus gloriam.
Deo Patri ſit gloria,
Ejuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu paraclito,
Et nunc & in perpetuum. Amen.

Oratio.

DOmine Deus omnipotens qui ad principium hujus diei nos pervenire

fecisti: tuâ nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper, ad tuam justitiam faciendam, nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

Sancta Maria, & omnes Sancti intercedite pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari & salvari, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Dies & actus nostros in sua pace disponat Dominus omnipotens. Amen.

QUID IN PROGRESSU
Diei subinde agendum.

INterdiu dabis operam: ut eorum, quæ manè proposuisti, memineris, & bene agendi propositum subinde renoves, atque frequentissimè brevi admodum seu jaculatoria oratione animum ad Deum convertas, ut te semper illi cognoscas esse præsentem, & propterea eum continenter ob oculos habeas. Si quando autem aliquid aggrediendum tibi

erit, ita cum Ecclesia precari assuesce.

Actiones nostras, quæsumus Domine, adspirando præveni, & adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum, &c.

STUDIA VERO TUA

Aggressurus, hanc piam Orationem, à B. Thoma compositam, non infructuosè præmittes.

CReator ineffabilis, Dominus meus, & Deus meus, qui de thesauris tuæ sapientiæ novem Angelorum Choros condidisti, & eos super cœlum empyreum miro ordine collocasti, atque elegantissimè partes universi distribuisti, tu, inquam, qui verus fons luminis & sapientiæ diceris, atque supereminens principium; infundere digneris super intellectus mei tenebras radium tuæ claritatis, duplices à me removens tenebras, peccatum scilicet & ignorantiam, in qua natus sum. Tu qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias, at-

que in labiis meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatem, addiſcendi facilitatem, & loquendi gratiam copioſam, ingreſſum inſtruas, progreſſum dirigas, egreſſum compleas. Per Chriſtum, &c.

ALIA ORATIO, QUAM

B. Thomas quotidie flexis genibus recitaſſe dicitur, divinæ Sapientiæ ſtudioſo cuivis apprimè conducibilis.

CONcede mihi, quæſo omnipotens & miſericors Deus, quæ tibi placita ſunt diligenter & ardenter concupiſcere, prudenter inveſtigare, veraciter agnoſcere, & perfectè adimplere. Ad laudem & gloriam nominis tui ordina ſtatum meum, & quod à me requiris ut faciam, tribue ut ſciam, poſſim & velim, & da exequi ut oportet & expedit ſaluti animæ meæ.

Via mihi, quæſo, ad te ſit tuta, recta & conſummata, non deficiens inter proſpera & adverſa; ut in illis non extollar,

& in iſtis non deprimar, ut in proſperis gratias tibi referam, & in adverſis ſervem patientiam. De nullo gaudeam vel doleam, niſi quod promoveat ad te, vel quod abducat à te. Nulli placere appetam, vel diſplicere timeam, niſi tibi. Omnia in charitate da facere, & quod ad cultum tuum non pertinet, quaſi mortuum reputare. Actiones meas da peragere, non ex conſuetudine, ſed ad te referre cum devotione.

Vileſcant mihi omnia tranſitoria propter te, & chara ſint mihi omnia tua, & tu, Deus meus, plus quàm omnia. Tædeat me gaudii quod eſt ſine te, nec cupiam aliquid quod eſt extra te. Delectet me omnis labor qui eſt pro te, & tædioſa ſit mihi omnis quies, quæ non eſt in te.

Frequenter & ferventer da mihi, dulciſſime Domine, cor meum ad te dirigere, & defectionem meam cum emendationis propoſito dolendo penſare.

Fac me, Deus meus, humilem ſine fictione, hilarem ſine diſſolutione, tri-

ftem fine dejectione, maturum fine gravitate, agilem fine levitate, veracem fine duplicitate, te timentem fine desperatione, in te fperantem fine præfumptione, caftum fine corruptione, proximum corripere fine indignatione, diligere fine fimulatione, ipfumque ædificare verbo & exemplo fine elatione, obedientem fine contradictione, patientem fine murmuratione. Da mihi, dulciffime Jefu, cor pervigil, quod nulla abs te abducat curiofa cogitatio; da immobile, quod nulla deorfum trahat indigna affectio: da invictum, quod nulla fatigat tribulatio; da liberum, quod nulla fibi vindicet violenta delectatio, & da rectum, quod nulla feorfum obliquet finiftra intentio.

Largire mihi, dulciffime Deus meus, intellectum te cognofcentem, diligentiam te quærentem, fapientiam te invenientem, converfationem tibi placentem, perfeverantiam te dulciter & fiducialiter exfpectantem, fiduciam te felici-

ter amplectentem: tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, & gaudiis tuis in patria frui per gloriam. Amen.

AD OBTINENDAM
Gratiam & opem Sancti Spiritus.

VEni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium & tui amoris in eis ignem accende: qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti.

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

Oremus.

DEus qui corda fidelium Sancti Spiritûs illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum, &c.

HYMNUS.

VEni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple supernâ gratiâ,
Quæ tu creasti pectora.

Qui paraclitus diceris,
Donum Dei altissimi,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus,
Tu ritè promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Te utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Sit laus Patri cum Filio,
Sancto simul paraclito,
Nobisque mittat Filius,
Charisma S. Spiritûs. Amen.

PRECATIO CUM DOMO,
Vel cubiculo egrederis.

Abrenuntio tibi Satana, & adhæreo tibi Chriſte, qui es via, veritas & vita.

Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.

Greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum; ut non dominetur mei omnis injuſtitia.

Perfice greſſus meos in ſemitis tuis: ut non moveantur veſtigia mea.

Cum audis ſignum horæ.

Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & horâ mortis ſuſcipe.

Omnipotens fauſtam donet mortalibus horam.

Nos cum prole pia benedicat virgo Maria. Amen.

Precatio Templum ingreſſuri ex Pſal. 5.

Domine, in multitudine miſericordiæ tuæ introïbo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

AD PULSUM CAMPANÆ

Matutinum, in memoriam Resurrectionis Dominicæ.

DOmine Jesu Christe, qui redivivus ex mortuis diem illum expectatissimum, quem fecit Dominus, mortalibus revexisti; fac me à morte peccatorum excitatum; in novitate vitæ ambulare, ut in resurrectione illa in novissimo die, cum manifestata fuerit vita nostra, & ego tecum manifester in gloria. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

AD PULSUM CAMPANÆ

Meridianum, in memoriam mortis Dominicæ.

TEnebræ factæ sunt, dum Christus supplicium mortis pateretur in cruce. Et circa horam nonam clamavit voce magna: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Et inclinato capite emisit spiritum. Et ecce terræ motus factus est magnus, quia mortem Filii Dei mundus sustinere non poterat, &

aperto ejus latere ſanguis exivit & aqua, in redemptionem ſalutis noſtræ.

℣. Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem.

℟. Mortem autem crucis.

Oremus.

Reſpice, quæſumus Domine, ſuper hanc familiam tuam, pro qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum. Qui paſſus es pro nobis, miſerere noſtri.

AD PULSUM CAMPANÆ.

Veſpertinum.

Suſcipe, quæſo, ſancta Virgo Mater, ex me verbum quondam tibi cælitus ab Angelo denuntiatum. Ave gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jeſus Chriſtus. Amen. Ipſa qui te plenam fecit gratiâ, nos pro ſua dirigat clementia, ut in ſalutis pergentes via, in perpetua coronemur gloria.

Deus, qui de B. Mariæ Virginis utero

Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, ut qui verè eam Dei genitricem credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Admonitio.

NOtandum ad matutinum & meridianum pulsum, præter memoriam resurrectionis & passionis Dominicæ, etiam servari incarnationis Christi memoriam, eo quòd hoc mysterium sit omnium aliorum principium: & ignoretur qua parte diei Christi incarnatio per Angelum B. Mariæ sit nuntiata: eamque ob causam multis in locis usitatissimum est, tam manè quàm meridiè & vesperi ter recitare Angelicam salutationem in hunc modum.

Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto. Ave Maria, &c.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Ave Maria, &c.

Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ave Maria, &c.

Alias precationes, diversis personis, temporibus & necessitatibus accommodatas, petere licebit ex Cœlesti Palmeto, aliisque similibus piis libellis.

MEDITATIO
Vespertina.

VEsperi, priusquam te ad quietem componas, conscientiæ tuæ examen præmittes. Quandoquidem (ut rectè admonet D. Chrysost.) optimum est, ut non singulis hebdomadis modò, verùm quotidiè etiam unusquisque seipsum considerans ab anima sua omnem negligentiam repellat, & bonorum possessionem acquirat. Neque incommodè cecinit Poëta.

Non priùs in dulcem declines lumina somnum,
Omnia quàm longè reputaveris acta diei.

Modus autem istius examinis his punctis continebitur:

Quorum primum eſt, ut, poſtquam ad orandum te compoſueris, humiliter gratias agas Deo pro omnibus beneficiis, quibus hactenus te cumulavit, atque pro his initio, quæ tibi cum ceteris hominibus communia ſunt, quod videlicet te creaturam ratione præditam condiderit, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quod immenſis laboribus, doloribus, & ſanguine denique ſuo, te ex inferni faucibus (quibus tuis meritis deſtinatus eras) eripuerit: quodque vitam æternam tibi, ſi præceptis ejus morem geſſeris, largiri paratus ſit, atque promiſerit, &c. Deinde ea, quæ peculiariter tibi, non autem reliquis omnibus, conceſſa ſunt, expendens, gratias ages, quòd te in Spiritu & aqua baptizaverit, ignorantem docuerit, ac fidei lumine illuſtraverit, ab hæreſi te ſervaverit, parentes præceptoreſque Catholicos & pios, tuique amantes dederit; maximam ſemper occaſionem obtulerit Deum ex animo diligendi, eique ſerviendi: atque cum Angelos nobiliſ-

ſimos ob unam ſuperbiæ voluntatem è cœlo, Adamum autem ob inobedientiæ peccatum è Paradiſo ejecerit, nec non & plurimos homines nunc ob peccata, tuis tamen minora, ad profundum inferni juſtiſſimè deturbarit, perpetuis ignibus cruciandos, tibi tamen hactenus pepercerit, toties in peccata lapſum clementer eripuerit, peccataque remiſerit, quin imò pretioſo ſuo illo corpore & ſanguine cibaverit, die quoque hodierno jam exacto, in quo multi propter peccata ad inferos præcipitati ſunt, cuſtodierit. Hæc & ſimilia plura in te Dei beneficia agnoſces, maximè tamen peculiares gratias agas de beneficiis illo die peculiariter tibi impenſis.

Secundum, ut deinde preceris pro gratia, quâ recordari, deflere, expellere, & expiare vitia illa poſſis, in quæ die illo ex negligentia ſupina, vel malitia, incidiſti.

Tertium, ut cogites quid ab ea hora, quâ mane ſurrexeris, ad hoc uſque tempus commiſeris, ſingulas horas percur-

rens, quibus partim orasti, partim studuisti, cum aliis domi forisque conversatus es.

Videbis an Deum vel proximum cogitatione, verbo, vel opere, ut omissione, seu negligentiâ offenderis, utpote tempus negligenter transigendo; frigidè atque parum devotè orando, & id genus alia, quæ tui sunt officii, negligendo.

Quartò, ut ex consideratione tantæ tuæ socordiæ, quâ tam frequenter in eadem laberis vitia excites tibi dolorem & metum; cogitans iniquum admodum esse, clementissimum illum Dominum tuum tam facilè ac levi de causa offendere, & teipsum tantis animæ tuæ periculis exponere. Perpendas etiam sedulò, si ex vita tibi hac nocte migrandum foret, quale esses judicium expectaturus, de omni etiam verbo otioso rationem redditurus, & ad quem locum deducendus. Proinde à Domino tuo sollicitè veniam posce delictorum, promittens te majori diligentiâ, vitæque emenda-

tione, commissa & neglecta pro virili tuo compensaturum; atque ora, ut si hac nocte hinc te discedere velit, clementer pro sua immensa misericordia tecum agat. Sin velit diutiùs vitam tuam prorogare, gratiam largiatur sobriè, justè, & piè vivendi in hoc sæculo. Finitâ tunc Oratione Dominicâ, Angelicâ Salutatione, & Apostolorum Symbolo, hunc Hymnum cum precatione Ecclesiæ subjunges.

HYMNUS.

Christe, qui lux es & dies,
Noctis tenebras detegis,
Lucisque lumen crederis,
Lumen beatum prædicans.

Precamur sancte Domine,
Defende nos in hac nocte,
Sit nobis in te requies,
Quietam noctem tribue.

Ne gravis somnus irruat,
Nec hostis nos surripiat,
Nec caro illi consentiens
Nos tibi reos statuat.

Oculi ſomnum capiant,
Cor ad te ſemper vigilet,
Dextra tua protegat
Famulos qui te diligunt.
Defenſor noſter aſpice,
Inſidiantes reprime:
Guberna tuos famulos,
Quos ſanguine mercatus es.
Memento Noſtri Domine,
In gravi iſto corpore:
Qui es defenſor animæ,
Adeſto nobis Domine.
Deo Patri ſit gloria,
Ejuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu paraclito,
Et nunc & in perpetuum. Amen.

Salva nos, Domine, vigilantes, cuſtodi nos dormientes: ut vigilemus cum Chriſto, & requieſcamus in pace.

Oratio.

Viſita, quæſumus, Domine, habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longè repelle: Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſto-

diant, & benedictio ✠ tua sit super nos semper. Per Dominum nostrum, &c.

De Contritionis usu.

Contritio tanti est momenti, ut quantumcumque gravissimum peccatorem in Dei gratia reponat, & ad salutem sufficiat, si modò habeat propositum confitendi, ideoque ejus Actum hìc subjicimus. Est verò Contritio, perfectus animi dolor ob Deum offensum, quem ut summum bonum summè & super omnia diligere tenemur. Attritio verò oritur ex timore vel fœditate peccati, aut simili consideratione, neque absque Sacramento per se sufficit ad salutem. Vehementer itaque commendatur à viris doctis & piis contritionis frequentior usus, potissimùm manè, ut Deo reconciliati, opera nostra, aliàs mortua, vitæ æternæ meritoria sint. Secundò, vesperi in examine conscientiæ contra repentinam mortem. Tertiò, post peccatum gravius admissum, ne inimici Dei permaneamus. Quartò, ante omnem oratio-

nem: non enim eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Quintò, in omni periculo mortis.

Actus Contritionis.

DOmine Jeſu Chriſte, verè Deus & homo, creator pariter ac redemptor, doleo ex intimo corde me offendiſſe tuam divinam Majeſtatem, quia tu es Deus meus & omnia, quem ſuper omnia diligo & colo.

Proinde firmiter ſtatuo ac propono me non ampliùs te offenſurum, ſed omnes peccandi occaſiones pro viribus devitaturum: inſuper de noxis me ritè confeſſurum, & pœnitentiam, quæcumque imponetur, impleturum: ad pleniorem verò ſatisfactionem, hodiè tibi me ipſum offero, vitam meam, & mea omnia, & omnes labores meos. Et quemadmodum rogo te ſuppliciter, & flagito veniam delictorum meorum, ita confido me eam impetraturum per infinitam miſericordiam ac benignitatem tuam, per merita quoque pretioſiſ-

ſimi ſanguinis ac ſanctiſſimæ paſſionis tuæ, daturum te quoque gratiam emendandi vitam meam & in bono uſque ad finem perſeverandi. Amen.

JESUS.

Tetraſtichon de Nomine Jeſu.

Dulce tuum noſtro ſcribas in pectore nomen:
Namque tuo conſtat nomine noſtra ſalus.
Illi triſte nihil cadit umquam, mitis Jeſu,
Qui velit uſque tui nominis eſſe memor.

ORATIONES

In Schola quotidie ante lectionem dicendæ.

DIE DOMINICO

Ad Deum Patrem.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Benedictus ſit Deus Pater, unigenituſque Dei Filius, Sanctus quoque Spiritus, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

CLementiſſime Pater, infunde nobis per meritum Chriſti Filii tui, Spiritus Sancti gratiam, quâ intellectus noſter liberalibus diſciplinis pleniùs illuſtretur, quas in divinum tuum honorem aliquando, & ſpiritualem noſtram utilitatem, convertere poſſimus. Qui vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

DIE LUNÆ.

In nomine Patris, &c.

O Sapientia, quę ex ore Altiſſimi prodiiſti, attingens à fine uſque ad finem fortiter ſuaviterque omnia diſponens; veni ad docendum nos viam prudentiæ.

VErbum Patris æternum, & ſapientiæ fons effuſiſſime Domine Jeſu Chriſte, docilitatem mentibus noſtris & intelligentiæ lumen infunde, ut feliciter nobis cedant hæc litterarum ſtudia; quibus adjuti ad clariorem agnitionem æternæ Veritatis, & perfectum amorem bonitatis tuæ, pervenire poſſimus. Qui vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

DIE MARTIS.

Ad Spiritum Sanctum.

In nomine Patris, &c.

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium & tui amoris in eis ignem accende: qui per diversitatem, &c. pag. 127.

DEus, cui omne cor patet, & omnis volontas loquitur, & quem nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri: ut te perfectè diligere, & dignè laudare, omniaquè nostra studia semper ad tuam gloriam referre valeamus. Qui vivis & regnas, &c.

DIE MERCURII

Ad omnes Sanctos.

In nomine Patris, &c.

O quàm gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amicti stolis albis, sequuntur Agnum quocumque ierit, laudantes Deum, & dicentes: Benedictio & claritas, & sapientia, gratiarum actio, honor, virtus,

& fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. Amen.

OMnes Sancti tui, quæſumus, Domine, nos ubique adjuvent; ut, dum eorum merita recolimus, patrocinia ſentiamus, Sancta Maria & omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum ut nos mereamur ab eo in ſtudiis noſtris juvari & ſalvari. Qui vivis & regnas, cum Deo Patre, &c.

DIE JOVIS

De venerabili Sacramento.

In nomine Patris, &c.

O Sacrum Convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

O Quam ſuavis eſt Domine, Spiritus tuus! qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſſimo de cœlo præſtito, eſurientes reples bonis, faſtidioſos divites dimittis inanes. Tuâ nos Domine, quæſumus, gratiâ ſemper præ-

præveniat, & ſequatur, ac ſtudiis noſtris boniſque operibus jugiter præſtet eſſe intentos. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

DIE VENERIS

De Beneficio Redemptionis.

Humiliavit ſemetipſum Dominus noſter Jeſus Chriſtus uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.

DOmine Jeſu Chriſte, qui pro mundi redemptione, ut, qui in tenebris erat, illuminaretur, mortem in crucis patibulo ſuſtinuiſti, illam, quæſumus, lucem in animas noſtras, corporaque infunde, per quam ad æternam lucem, & te veram ſapientiam pervenire mereamur. Qui vivis & regnas Deus, &c.

DIE SABBATHI

Ad B. Virginem.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Sub tuum præſidium confugimus,

Sancta Dei genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa & benedicta, Domina noſtra, mediatrix noſtra, Advocata noſtra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræſenta.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui curam de omnibus in te confidentibus ſemper habes: præſta quæſumus ut per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, tuam in noſtris ſtudiis & omnibus neceſſitatibus gratiam ſentiamus. Per eundem Dominum noſtrum, &c.

SEPTEM PSALMI

Pœnitentiales cum Litaniis dicuntur flexis genibus.

Antiph. Ne reminiſcaris.

Pſalm. 6.

DOmine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine, uſquequò?

Convertere Domine, & eripe animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi.

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant & conturbentur vehemen-

ter omnes inimici mei: convertantur, & erubescant valdè velociter.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Psalm. 31.

BEati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea: dum clamarem totâ die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & injustitiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione,

quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac quâ gradieris: firmabo ſuper te oculos meos.

Nolite fieri ſicut equus & mulus: quibus non eſt intellectus.

In camo & fræno maxillas eorum conſtringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate juſti: gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Pſalm. 37.

DOmine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.

Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ: à facie inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.

Amici mei & proximi mei adverſum me appropinquaverunt & ſteterunt.

Et qui juxta me erant, de longè ſteterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi; locuti

ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tamquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, ſperavi: tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi, nequando ſupergaudeant mihi inimici mei: & dum commoventur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.

Quoniam ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, & confirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne diſceſſeris à me.

Intende in adjutorium meum: Domine Deus salutis meæ.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Psalm. 50.

MIserere mei, Deus: secundùm magnam misericordiam tuam.

Et secundùm multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & Spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me à facie tua: & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: & Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.

Libera me de Sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Benignè fac, Domine, in bona volun-

tate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis Sacrificium justitiæ, oblationes & holocausta: tunc imponent super Altare tuum vitulos.

Gloria Patri, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Psalm. 101.

DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me: in quacumque die tribulor inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pellicano solitudi-

nis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Totâ die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me adverſum me jurabant.

Quia cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.

A facie iræ & indignationis tuæ: quia elevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinaverunt: & ego ſicut fœnum arui.

Tu autem Domine, in æternum permanes: memoriale tuum in generationem & generationem.

Tu exurgens miſereberis Sion: quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus

Quoniam placuerunt ſervis tuis lapides ejus, & terræ ejus miſerebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion : & videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera : & populus qui creabitur laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso Sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum : ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini : & laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum: & Reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ : paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum : in generationem & generationem anni tui.

Initio tu, Domine, terram fundasti : & opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes : & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Filii ſervorum tuorum habitabunt: & ſemen eorum in ſæculum dirigetur.

Gloria Patri, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Pſalm. 129.

DE Profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit.

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Pſalm. 142.

DOmine exaudi orationem meam: auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua juſtitia.

Et non intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Quia perſecutus eſt inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi: & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit ſpiritus meus.

Non avertas faciem tuam à me & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè miſericordiam tuam: quia in te ſperavi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum Domine, vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego ſervus tuus ſum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Antiph. Ne reminiſcaris, Domine, delicta noſtra, vel parentum noſtrorum; neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

LITANIÆ.

KYrie, eleïſon. Chriſte, eleïſon. Kyrie, eleïſon. Chriſte, audi nos. Chriſte, exaudi nos.

Pater de Cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miſ. nob.
Spiritus Sancte Deus, miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miſ. nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Sancte Michaël, ora.
Sancte Gabriël, ora.
Sancte Raphaël, ora.
Omnes Sancti Angeli & Archang, orate.
Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines. orate.
Sancte Joannes Baptiſta ora.
Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ, orate pro nobis.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte

Sanćte Bartholomæe, ora.
Sanćte Matthæe, ora.
Sanćte Simon, ora.
Sanćte Thadæe, ora
Sanćte Matthia, ora
Sanćte Barnaba, ora.
Sanćte Luca, ora.
Sanćte Marce, ora.
Omnes Sanćti Apoſtoli & Evangeliſtæ, orate pro nobis.
Omnes Sanćti Diſcipuli Domini, orate.
Omnes Sanćti Innocentes, orate.
Sanćte Stephane, ora.
Sanćte Laurenti, ora.
Sanćte Vincenti, ora.
Sanćti Fabiane & Sebaſtiane, orate.
Sanćti Joannes & Paule, orate.
Sanćti Coſma & Damiane, orate.
Sanćti Gervaſi & Protaſi, orate.
Omnes Sanćti Martyres, orate.
Sanćte Silveſter, ora.
Sanćte Gregori, ora.
Sanćte Ambroſi, ora.
Sanćte Auguſtine, ora.

Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Omnes sancti Pontifices & Confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti Doctores, orate.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Sacerdotes & Levitæ, orat.
Omnes sancti Monachi & Eremitæ, orat.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Omnes sanctæ Virgines & Viduæ, orat.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.

Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera.
A subitanea & improvisa morte, libera.
Ab insidiis diaboli, libera.
Ab ira, & odio; & omni mala voluntate, libera.
A spiritu fornicationis, libera.
A fulgure & tempestate, libera.
A morte perpetua, libera.
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ, libera nos Domine.
Per Adventum tuum, libera nos Dom.
Per Nativitatem tuam, libera.
Per Baptismum & sanctum jejunium tuum, libera.
Per Crucem & Passionem tuam, libera.
Per Mortem & sepulturam tuam, libera.
Per sanctam resurrectionem tuam, liber.
Per admirabilem Ascensionem tuam, lib.
Per Adventum Spiritûs Sancti paracliti, libera nos Domine.
In die judicii, libera nos Domine.
Peccatores, te rogamus audi nos.

Ut nobis parcas, te rogamus audi nos.
Ut nobis indulgeas, te rogamus audi.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus audi nos.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere & conservare digneris, te rog. aud. nos.
Ut Domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta religione conservare digneris, te rogam.
Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rogamus audi nos.
Ut Regibus & Principibus Christianis pacem & veram concordiam donare digneris, te rogamus audi nos.
Ut cuncto populo Christiano pacem & unitatem largiri digneris, te rogamus audi nos.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare & conservare digneris, te rogamus audi nos.
Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, te rogamus audi nos.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamus audi nos.

Ut animas noſtras, fratrum, propinquorum & benefactorum noſtrorum, ab æterna damnatione eripias, te rog.

Ut fructus terræ dare & conſervare digneris, te rogamus audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus.

Fili Dei, te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Chriſte, audi nos. Chriſte, exaudi nos.

Kyrie eleïſon. Chriſte eleïſon.

Pater noſter, ſecretò.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

Pſalm. 69.

DEus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina.

Confundantur & revereantur : qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorſum & erubeſcant : qui volunt mihi mala.

Avertantur ſtatim erubeſcentes : qui dicunt mihi, euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te : & dicant ſemper, Magnificetur Dominus qui diligunt ſalutare tuum.

Ego verò egenus & pauper ſum : Deus adjuva me.

Adjutor meus & liberator meus es tu : Domine ne moreris.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. Salvos fac ſervos tuos

℟. Deus meus, ſperantes in te.

℣. Eſto nobis Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine, non ſecundùm peccata noſtra facias nobis.

℟. Neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice noſtro N.

℟. Dominus conſervet eum, & vivificet eum & Beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus noſtris

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

℣. Requieſcant in Pace. ℟. Amen.

℣. Pro Fratribus noſtris abſentibus.

℟. Salvos fac ſervos tuos, Deus meus, ſperantes in te.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

DEus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut nos & omnes famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.

EXaudi quæſumus, Domine, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

INeffabilem nobis, Domine, miſericordiam tuam clementer oſtende: ut ſimul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEus, qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris: preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte.

OMnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo Pontifici noſtro N. dirige eum ſecundùm tuam clementiam in viam ſalutis æternæ; ut, te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEus à quo Sancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera, da ſervis tuis illam quam mundus dare non poteſt pacem, ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

URe igne Sancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Domine; ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

FIdelium Deus, omnium conditor & redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur.

ACtiones nostras quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

OMnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul & mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis, te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementiâ, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Exaudiat nos omnipotens & misericors Dominus. ℟. Amen.

℣. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

LITANIÆ
B. Virginis Lauretanæ.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Christe, audi nos
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Christi,
Mater divinæ gratiæ,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,

Ora pro nobis.

Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentiſſima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum juſtitiæ,
Sedes ſapientiæ,
Cauſa noſtræ lætitiæ,
Vas ſpirituale,
Vas honorabile,
Vas inſigne devotionis,
Roſa myſtica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,
Janua cœli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Conſolatrix afflictorum,

Ora pro nobis.

Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium, — Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

GRatiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde; ut qui Angelo nuntiante Christi filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus & crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum, &c.

VESPERÆ DOMINICALES ET COMPLETORIUM.

DOMINICA AD VESPERAS.

Psalm. 109.

DIxit Dominus Domino meo: sede à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos: scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.

Dominus à dextris tuis: confregit in die iræ suæ Reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas; onquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet : propterea exaltabit caput.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Pſalm. 110.

COnfitebor tibi, Domine, in toto corde meo ; in conſilio juſtorum & congregatione.

Magna opera Domini : exquiſita in omnes voluntates ejus.

Confeſſio & Magnificentia opus ejus : & juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus : eſcam dedit timentibus ſe.

Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui : virtutem operum ſuorum annuntiabit populo ſuo.

Ut det illis hereditatem gentium : opera manuum ejus veritas & judicium.

Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in ſæculum ſæculi : facta in veritate & æquitate.

Redemptionem miſit populo ſuo : mandavit in æternum teſtamentum ſuum.

Sanctum & terribile nomen ejus: initium ſapientiæ, timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio ejus manet in ſæculum ſæculi.

Gloria Patri, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Pſalm. III.

BEatus vir qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit ſemen ejus, generatio rectorum benedicetur.

Gloria & divitiæ in domo ejus: & juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Exortum eſt in tenebris lumen rectis: miſericors & miſerator, & juſtus.

Jucundus homo qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in judicio: quia in æternum non commovebitur.

In memoria æterna erit juſtus: ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus ſperare in Domino, confirmatum eſt cor ejus: non commovebitur donec deſpiciat inimicos ſuos.

Diſ-

Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit.

Gloria Patri, &c.

Sicut erat, &c.

Psalm. 112.

LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum: laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus: & super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat: & humilia respicit in cœlo & in terra.

Suscitans à terra inopem: & de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.

Qui habitare facit ſterilem in domo: Matrem Filiorum lætantem.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

Pſalm. 113.

IN exitu Iſraël de Ægypto: domus Jacob de populo barbaro.

Facta eſt Judæa ſanctificatio ejus: Iſraël poteſtas ejus.

Mare vidit, & fugit, Jordanis converſus eſt retrorſum.

Montes exultaverunt ut arietes: & colles ſicut agni ovium.

Quid eſt tibi mare: quòd fugiſti? & tu Jordanis, quia converſus es retrorſum?

Montes exultaſtis ſicut arietes: & colles ſicut agni ovium.

A facie Domini mota eſt terra: à facie Dei Jacob.

Qui convertit Petram in ſtagna aquarum: & rupem in fontes aquarum.

Non nobis, Domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam.

Super miſericordia tua & veritate tua: nequando dicant Gentes, ubi eſt Deus eorum.

Deus autem noſter in cœlo: omnia quæcumque voluit fecit.

Simulacra Gentium argentum & aurum: opera manuum hominum.

Os habent, & non loquentur: oculos habent & non videbunt.

Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.

Manus habent & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt, non clamabunt in gutture ſuo.

Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

Domus Iſraël ſperavit in Domino, adjutor eorum & protector eorum eſt.

Domus Aäron ſperavit in Domino: adjutor eorum & protector eorum eſt.

Qui timent Dominum, ſperaverunt in Domino: adjutor eorum & protector eorum eſt.

Dominus memor fuit noſtri: & benedixit nobis.

Benedixit domui Iſraël: benedixit domui Aäron.

Benedixit omnibus qui timent Dominum: pusillis cum majoribus.

Adjiciat Dominus super vos: super vos & super filios vestros.

Benedicti vos à Domino: qui fecit cœlum & terram.

Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes, qui descendunt in infernum.

Sed nos qui vivimus benedicimus Domino: ex hoc nunc & usque in sæculum.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

CANTICUM
B. Mariæ Virginis.
Luc. 1.

MAgnificat, anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus: in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus à progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: & exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: & divites dimisit inanes.

Suscepit Israël puerum suum: recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad Patres nostros: Abraham & semini ejus in sæcula.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

AD COMPLETORIUM.

CONverte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Psalm. 4.

CUm invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, & exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.

Et scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum: Dominus exaudiet me, cùm clamavero ad eum.

Irascimini & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino: multi dicunt, quis ostendit nobis bona.

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & olei sui: multiplicati sunt.

In pace in idipsum: dormiam & requiescam.

Quoniam tu Domine singulariter in spe: constituisti me.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Psalm. 30.

IN te Domine, speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii: ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Psalm. 90.

QUi habitat in adjutorio Altissimi: in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino, susceptor meus es tu: & refugium meum, Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incursu, & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Psalm. 131.

ECce nunc benedicite Dominum: omnes servi Domini.

Qui statis in domo Domini: in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit cœlum & terram.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

CANTICUM SIMEONIS.

Luc. 2.

NUnc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei: salutare tuum.

Quod parasti ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Israël.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

MODUS
INSERVIENDI SACRO.

Sacerdos. IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Introïbo ad Altare Dei.

Minister. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Sac. Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo & doloso erue me.

Min. Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti, & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus.

Sac. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

Min. Et introïbo ad Altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Sac. Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: quare tristis es anima mea, & quare conturbas me.

Min. Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

Sac. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Min. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Sac. Et introïbo ad Altare Dei.

Min. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Sac. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

Min. Qui fecit cœlum & terram.

Sac. Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Michaëli Archangelo, Beato Joanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & vobis Fratres quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere: meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ. Ideò precor Beatam Mariam semper Virginem, Beatum Michaëlem Archangelum, Beatum Joannem Baptistam, Sanctos Apostolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, & vos Fratres orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Min. Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. *Sac.* Amen.

Min. Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Michaëli Archangelo, Beato Joanni Baptistæ, Sanctis Apo-

ſtolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere: meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ. Ideò precor Beatam Mariam ſemper Virginem, Beatum Michaëlem Archangelum, Beatum Joannem Baptiſtam, Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, & te Pater orare pro me ad Dominum Deum noſtrum.

Sac. Miſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris, perducat vos ad vitam æternam. *Min.* Amen.

Sac. Indulgentiam, abſolutionem & remiſſionem peccatorum noſtrorum tribuat nobis omnipotens & miſericors Dominus.

Min. Amen.

Sac. Deus tu converſus vivificabis nos.

Min. Et plebs tua lætabitur in te.

Sac. Oſtende nobis Domine, miſericordiam tuam.

Min. Et ſalutare tuum da nobis.

Sac. Domine exaudi orationem meam.

Min. Et clamor meus ad te veniat.

Sac. Dominus vobiſcum.

Min. Et cum ſpiritu tuo.

Sac. Oremus, aufer à nobis, quæſumus &c

Ante Epistolam.

Sac. Kyrie eleïson. *Min.* Kyrie eleïson.
Sac. Kyrie eleïson. *Min.* Christe eleïson.
Sac. Christe eleïson. *Min.* Christe eleïson.
Sac. Kyrie eleïson. *Min.* Kyrie eleïson.
Sac. Kyrie eleïson.
Sac. Dominus vobiscum.
Min. Et cum spiritu tuo.
Sac. Per omnia sæcula sæculorum.
Min. Amen.

In fine Epistolæ respondendum est altâ voce:

Min. Deo gratias.

Ad Evangelium.

Sac. Dominus vobiscum.
Min. Et cum spiritu tuo.
Sac. Sequentia (*vel* initium) Sancti Evangelii secundùm Matthæum, Joannem, &c.
Min. Gloria tibi Domine.

In fine Evangelii respondendum est altâ voce

Min. Laus tibi Christe.

Post Evangelium.

Sac. Dominus vobiscum.
Min. Et cum spiritu tuo.

Respondendum est quod sequitur quando Sacerdos dicit

Orate Fratres,

Min. Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis, ad laudem & gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.

Sac. Per omnia sæcula sæculorum.

Min. Amen.

Sac. Dominus vobiscum.

Min. Et cum spiritu tuo.

Sac. Sursum corda.

Min. Habemus ad Dominum.

Sac. Gratias agamus Domino Deo nostro.

Min. Dignum & justum est.

Ad Corporis Domini elevationem pulsanda est campana: similiter & ad Sanguinis Domini elevationem.

Post Elevationem.

Sac. Per omnia sæcula sæculorum.

Min. Amen.

Sac. Et ne nos inducas in tentationem.

Min. Sed libera nos à malo.

Sac. Per omnia sæcula sæculorum.

Min. Amen.

Sac. Pax Domini sit semper vobiscum.

Min. Et cum ſpiritu tuo.

Poſt S. Euchariſtiæ ſumptionem.

Sac. Dominus vobiſcum.

Min. Et cum ſpiritu tuo.

Sac. Per omnia ſæcula ſæculorum.

Min. Amen.

Sac. Dominus vobiſcum.

Min. Et cum ſpiritu tuo.

Sac. Ite Miſſa eſt.

Min. Deo gratias.

Sac. Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

Min. Amen.

Sac. Dominus vobiſcum.

Min. Et cum ſpiritu tuo.

Sac. Initium S. Evangelii ſecundùm Joannem.

Min. Gloria tibi Domine.

In fine cujuſvis Evangelii reſpondendum eſt

Min. Deo gratias.



FINIS.

Vidit & Approbavit hac 1. Aug. 1741.

Æ. F. AUDENAERT,

Librorum Cenſor.

Vidit D. SERVAES *Lib. Cenſ. Reg.*

Modus inferviendi Mis

℟. Et cum spiritu tuo.

Post S. Eucharistiæ sumptionem

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Dominus vobiscum.

... spiritu tuo.